

B 9432

392

# ENCHIRIDION

SURIS

ECCLESIAE ORIENTALIS CATHOLICAE.

PRO USU

AUDITORUM THEOLOGIAE, ET ERUDITIONE CLERI  
GRAECO-CATHOLICI,

E PROPRIS FONTIBUS CONSTRUCTUM.

AUCTORE

**JOSEPHO PAPP-SZILÁGYI**

DE ILLYÉSFALVA,

S. S. THEOLOGIAE DOCTORE, CANONICO GRAECI RITUS MAGNO-  
VARADINENSI, ABBATE TITULI S. PANTELEMONIS DE RÁCZ-  
KEVE, CONSILIARIO REGIO, ET INSIGNIS ORDINIS FRANCISCI  
JOSEPHI I. EQUITE.

*Kecské*  
**M.-VARADINE.**  
TYPIS A LOYSII TICHY.  
1862.

B 9432

## PRAEFATIO.

Etiamsi Ecclesia Christiano-Catholica una semper et indivisibilis sit, pro diversitate tamen Nationum, et linguarum eandem Christi Salvatoris generis humani fidem profitentium, invaluit apud eas varia cultus divini forma, ecclesiasticus ritus, et disciplina. Et etiamsi Nomenclatio: Ecclesia Orientalis, et Occidentalis a divisione Imperii civilis Romani in Orientale et Occidentale derivetur, cum tamen evenerit, ut, quemadmodum in Occidente Ritus et disciplina Ecclesiae Romanae sensim, communiter fere receptus sit, ita in Oriente, Ritus et consuetudines Ecclesiae Constantinopolitanae praevaluerint, hodie, Ecclesia, quae Ritum et disciplinam Ecclesiae Constantinopolitanae observat, peculiariter Ecclesia Orientalis nominatur.

Ea autem fuit semper Sacrae Sedis Apostolicae oeconomia, ut Ecclesia Orientalis suum proprium probatum Ritum et disciplinam cu-

A. ADEM A.R.S.R.  
FILIALA L.J.J  
BIBLIOTECA  
Nr. 9432 19 75

B 9432

Obsecro autem vos fratres per nomen Domini nostri Jesu Christi: ut id ipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata: sitis autem perfecti in eodem sensu, et in eadem sententia.

S. Paul. I. ad Cor. Cap. I. v. 10.

Christianus mihi nomen, Catholicus cognomen.

S. Pacianus.

stodiret, imo vero et prohibuit ullam in eademi mutationem privata auctoritate, absque S. Sedis Apostolicae indultu fieri. Sed et ipsa S. Sedes Apostolica earum solum consuetudinum abrogationem merito exigit, quae aut rectae fidei, aut moralitati, et decori Ecclesiae inconvenientes esse viderentur. Sic Nicolaus I. in Epistola 2-a ad Photium haec scribit: De consuetudinibus, quas nobis opponere visi estis scribentes, per diversas Ecclesias, diversas esse consuetudines, si illis canonica non obsit auctoritas, pro qua obviare debeamus, nihil judicamus vel resistimus. Leo autem IX. ad Michaelem Cerularium: Ecce in hac parte Romana Ecclesia quanto discretior, moderatior, et clementior vobis est, siquidem cum intra, quam extra Romam plurima Graecorum Monasteria reperiantur, sive Ecclesiae: nullus eorum adhuc perturbatur, vel prohibetur a paterna traditione, sive sua consuetudine, quin potius svadetur, atque admonetur eam observare. Scit Sancta Romana Ecclesia, quia nihil obsunt saluti credentium diversae pro loco et tempore consuetudines, quando una fides per dilectionem operans bona, quae potest, uni DEO commendat omnes. Et Innocentius III. „Licet Graecos diebus nostris, ad

obedientiam sedis Apostolicae revertentes fore, et honorare velimus, mores ac ritus eorum, quantum cum Domino possumus, substinendo; in his tamen illis deferre nec volumus, nec debemus, quae periculum generant animarum, et ecclesiasticae derogant honestati.“

Cumque nullum ecclesiasticum virum, proprii juris Ecelesiae suae notitia latere possit, atque adusque systematicum Jus Ecclesiasticum Ecclesiae Orientalis, non prostet, ex quo facili negotio, quilibet de Clero Catholico Orientali, quid juris sit comperiat; sed et illi Orientales, qui adhuc communionem ecclesiasticam cum Sancta Ecclesia Romana aspernantur, proprios quibus utuntur Sacros libros et codices, viam reconciliationis, et abundantia motiva restaurandae unionis et communionis ecclesiasticae pandere persvadeantur, Operi huic construendo, et luci publicae tradendo animum adjeci.

## PROLEGOMENA.

**A**d securiorem eorum intelligentiam quae in Jure ecclesiastico pertractantur, praemittere oportet quasdam notiones praeliminares ac fundamentales de Religione, Ecclesia, Jure et inspecie ecclesiastico ejusque Fontibus, atque codice ecclesiastico, e quibus omnia Jurisprudentiae ecclesiasticae praexcepta derivantur.

### §. 1. Natio religionis.

Religio a vinculo quo creatura Creatori religatur,<sup>\*)</sup> est complexus veritatum de Deo et officiorum ex iis derivatorum. Duo ergo complectitur Religio: scientiam de Deo, et cultum scientiae conformem. Prout autem notiones de Deo et officiis verae aut false sunt, Religio etiam erit vera, aut falsa.

### §. 2. Vera Religio est sola Christiana.

Distingvunt Theologi inter Religionem naturalem, quae est complexus veritatum de Deo et officiorum ad Deum, quas per solam operationem rationis nostrae assequimur, et revelatam, seu supernaturalem, quae per instructionem homini a Deo datur. Quia vero genus humanum nunquam caruit revelatione divina; primo enim momento creationis ejus jam se Deus ho-

<sup>\*)</sup> Cicero, Lactantius, Augustinus et alii.

mini manifestavit, seu revelavit. Ipse Deus primus hominis Magister, Legislator et Jūdex fuit<sup>1)</sup>), patet, subjective puram et sufficientem religionem esse solum revelatam a Deo, quemadmodum eam suo testimonio confirmando ante se<sup>2)</sup> factas manifestationes divinas Jesus Christus generi humano tradidit et revelationem divinam complevit.

### § 3. Jesus Christus Deus Homo generis humani Redemptor.

Homo per transgressionem legis Dei in paradiſo acceptae a Deo patre suo et creatore abscissus, amicit gratiam Dei, vitam aeternam, et lumen intellectus, atque voluntas ejus ad prae eligendum malum propensa facta est; hinc in omne genus vitiorum prolapsus homo, destinationis sibi in creatione datae, propriis viribus recuperandae incapax, redemptus est per Jesum Christum filium Dei, seu secundam Trinitatis personam Deum, ex Maria virgine hominem factum; qui vaticinia Prophetarum de Messia, in se completa exhibuit, atque doctrina sua divina quae cultissimae rationi satisfacit, et simul ab indoctissimo quove, quantum necesse est ad salutem, comprehensibilis est, miraculis item, ac imprimis resurrectione sua a mortuis, a se, morte sua in ara crucis perpessa, hominem capacitati destinationis suae, vitae aeternae consequendae, et ideo amissae sanctitatis et justitiae originariae recuperandae restitutum esse, infallibili divina certitudine persvasit, ac se viam, veritatem, et vitam esse, pro omni genere humano, comprobavit.

<sup>1)</sup> Geneseos Cap. 1. et 2.

<sup>2)</sup> Per Mosem et Prophetas.

### § 4. Attamen Salus hominis per Christum redempti, per applicationem meritorum Christi consequenda, dependet a conditionibus per Christum praescriptis.

Ut homo per Christum redemptus, meritorum Christi ad animae salutem consequendam particeps fieri possit, Christus conditions praescripsit, quas si quis non adimpleverit, aeternae salutis compos esse non poterit. Conditions autem hae sunt 1) Fides, sine qua nemo Deo gratus esse potest. Haec est, inquit Christus, vita aeterna: ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum<sup>1)</sup>. „Qui non crediderit condemnabitur<sup>2)</sup>. „Qui non credit jam judicatus est, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei<sup>3)</sup>. Et iterum: „Qui credit in Filium habet vitam aeternam; qui autem incredulus est Filio non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum<sup>4)</sup>. 2) Ut per baptismum in nomine Patris et Filii, et Spiritus sancti, omnes homines unum coetum seu societatem constituant Christum confitentium et ejus mandata observantium, qui coetus est Ecclesia Christiana; Euntes, inquit Christus docete omnes gentes, baptisantes eos in nomine Patris et Filii, et Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia quaecunque mandavi vobis<sup>5)</sup> ut sit unus pastor et unum ovile, seu Ecclesia<sup>6)</sup> „huicque uni ovili seu Ecclesiae constituit Pastorem ex Apostolis suis Petrum, inquiens illi:

<sup>1)</sup> Joannis C. XVII. v. 3.

<sup>2)</sup> Marci XVI. v. 16.

<sup>3)</sup> Joan. III. v. 18.

<sup>4)</sup> Joan. III. v. 36.

<sup>5)</sup> Marc XVI. v. 16.

<sup>6)</sup> Joan. X. v. 16.

„pasce oves meas, pasce agnos meos“ <sup>1)</sup> cui, ceterisque Apostolis et Discipulis a se vocatis omnes homines in ovile unum, seu unam Ecclesiam congregati, tamquam sibi obedient, dicens: „Qui vos audit me audit, qui vos spernit me spernit, qui autem me spernit, spernit eum qui misit me“ <sup>2)</sup>. Ergo tertia conditio salutis, seu applicationis meritorum Christi ad salutem est fieri membrum unius Ecclesiae, seu Ovili, cuius Pastor Petrus est, atque huic sicut Christo, reliquisque Rectoribus praestare obedientiam. His Ecclesiae Rectoribus concredidit Christus doctrinam suam fidei et morum docendam, gratiarumque per sacramenta ad applicationem meritorum suorum dispensationem.

### § 5. Definitio Ecclesiae Christianae.

Ex praemissis Ecclesia Christiana est Institutum diuinum ad sanctificationem hominis, seu recuperationem sanctitatis et justitiae originariae, in qua homo a Deo creatus est, per meritorum Christi Redemptoris applicationem, sicque ad consecutionem salutis aeternae, quam homo per peccatum amisit. Quia vero Christus pro omnibus hominibus mortuus est, omnesque vult salvos fieri et ad cognitionem veritatis pervenire <sup>3)</sup> scilicet per Ecclesiam docentem et regentem a se constitutam, patet Ecclesiam Christi ex institutione Ejusdem, perpetuam esse debere, seu duraturam usque ad consummationem saeculi; proinde etiam

<sup>1)</sup> Jan. XXI. v. 16. et 17.

<sup>2)</sup> Luc. X. v. 16.

<sup>3)</sup> Paul. II. ad Tim. II. v. 4.

Petri summi Pastoris ceterorumque Apostolorum successores, Pontificem nempe Romanum qui Petro, et Episcopos qui Apostolis ininterrupte succedunt, conjunctos, eandem potestatem et missionem divinam ad regendam Christi Ecclesiam sustinere, quam Christus Petro et Apostolis dedit, quibus etiam assistentiam suam promisit inquiens: Ego vobiscum ero omnibus diebus usque in consummationem saeculi <sup>1)</sup>. Et Spiritum Sanctum Spiritum veritatis dedit, qui maneat cum eis in aeternum <sup>2)</sup>. Hinc definitur Ecclesia christiana: coetus hominum unius et ejusdem fidei christiane professione et eorumdem sacramentorum communione sub regimine legitimorum pastorum, et praecepit Romani Pontificis, ad operandam salutem aeternam congregatus.

### § 6. De Notis Ecclesiae Christianae.

Ecclesia Christiana, prout ipsa profitetur in Symbolo fidei, est una, sancta, catholica, et apostolica. Una, quia unum ovile et unus pastor <sup>3)</sup> unus Christus, unum baptisma, unus Deus et pater omnium hominum <sup>4)</sup>, unum corpus <sup>5)</sup>, una sponsa <sup>6)</sup>; sancta, quia Ecclesia est institutum ad sanctificationem; quia illi adsistit Spiritus sanctus Spiritus veritatis <sup>7)</sup>; quia Christus se tradidit pro Ecclesia ut illam sanctificaret, mundans eam

<sup>1)</sup> Math. XXVIII. v. 18.

<sup>2)</sup> Joannis XIV. v. 16, 17.

<sup>3)</sup> Joan. X. v. 16.

<sup>4)</sup> Eph. IV. v. 5.

<sup>5)</sup> Ad Rom. XII. et 1. Cor. XII.

<sup>6)</sup> Cant. VI.

<sup>7)</sup> Joan. XIV. v. 16.

lavacro aquae in verbo vitae, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta et immaculata<sup>1)</sup> Catholica, seu universalis, quia Christus omnes homines omnium temporum et locorum vocavit ad sanctificationem in Ecclesiam, et per Ecclesiam; Docete omnes gentes inquit Apostolis<sup>2)</sup> et iterum: „Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae, qui crediderit et baptisatus fuerit hic salvus erit“, seu, qui membrum Ecclesiae evaserit, salutem consequetur aeternam. Apostolica denique, quia in Ecclesia continua est successio Apostolica rectorum Ecclesiae, perpetua repraesentatio pleni Apostolorum collegii cum Principe Petro, per quod traditiones apostolicae integrae in Ecclesia conservantur.

*Nota:* Quare autem Ecclesiae catholicae appellationem, et catholicorum titulum veri Christiani sibi vindicant? id praelare illustrat Jos. Bingham (Orig. Eccl. lib. I. Cap. I. § 7) scribens: Molesia, quam eis facessebant haeretici, causa erat, quam ob rem superioribus aliud adhuc nomen adderent, nimirum catholici, quod ipsis cognominis instar seu notae characteristicae erat, qua ab omnibus haereticis internoscebantur, ac distinguebantur, qui, quamvis sectae suae nomen gererent; communi tamen Christianorum nomine se se interdum oculabant. Hoc intelligimus ex Epistola Paciani, ad Sempronium haereticum Novatianum, qui rogatus causam, cur Christiani ipsi se nominarent Catholicos, respondit: fieri hoc ideo, ut ab haereticis et Schismaticis, nomen Christianorum itidem usurpantibus, se se distingverent; Christianus mihi nomen est inquietabat, Catholicus cognomen. Haeretici religionem plerunque peculiari hominum sectae alligabant, (ita etiam Schisma-

<sup>1)</sup> Ad Ephes. V. v. 25—27.

<sup>2)</sup> Math. XXVIII. v. 19.

tici sibi) adeoque Catholicos se nominare nullo jure poterant; Ecclesia autem Christi dum appellabatur Catholica, hujus appellationis causam satis idoneam habebat, quod observante Optato (L. II. p. 46) universalis erat, et per totum terrarum orbem diffusa. Et hoc sensu nomen hoc ejusdem, cum ipsa Ecclesia antiquitatis est. Occurrit enim in passione Policarpi, apud Eusebium L. IV. c. XV. Clementem Alexandrinum, Strom L. VII. p. 765 et Ignatium Epistola ad Smirnenses Nr. VIII. Et tanto in pretio ipsis hoc nomen erat, ut neminem Christianum reputarent, nisi de Ecclesia Catholica se esse profiteretur. Quemadmodum ex actis martyrii Peonii apud Baron. An CCLIV. Nr. IX. videre est, qui a Polemone judice rogatus cuius esset Ecclesiae, respondit; Catholicae, nulla enim est alia apud Christum.

Qui ergo Christianorum coetus se nomine Orthodoxorum distingvi praferunt, meminerint, omnes haereses praetextu orthodoxiae enatas esse, vereque orthodoxam Ecclesiam tantum Christiano-Catholicam esse, ovile, cuius Petrus a Deo constitutus Pastor est, cui soli assistit Christus et Spiritus Sanctus, Spiritus veritatis in aeternum. „Ubi Petrus, ibi Ecclesia.“ S. Ambrosius.

### § 7. Ecclesia est societas visibilis, externa.

Si plures in eundem finem contendunt, iisdemque mediis utuntur, societas inde coalescit; Christianus vero coetus ad eundem finem videlicet colendum Deum et inde aeternam salutem consequendam conspirat, iisdemque ad hoc sacramentis utitur, adeoque consequitur: Ecclesiam christianam esse societatem et quidem visibilem et externam, quae est expressio externa internae Christianorum conjunctionis in eadem fide, spe et charitate. Quo sensu Christianorum societatem indicavit S. Paulus inquiens: „Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem filii ejus Iesu Christi Domini

nostri“<sup>1)</sup>. Et alio loco: „Si qua ergo consolatio in Christo, si quod solatium charitatis, si qua societas spiritus“<sup>2)</sup>. Et 1-ae Joannis: Quod vidimus et audi- vimus, annunciamus vobis, ut et vos societatem habeatis nobiscum, et societas nostra sit cum Patre, et cum filio ejus Iesu Christo“<sup>3)</sup> et v. 7: si autem in luce (Evangelii) ambulamus, societatem habemus ad invicem.“ Christus per incarnationem suam, Ecclesiam quoque corpoream, visibilem, et externam coadunavit ex hominibus visibilibus, quam pro omnibus homini- bus a se redemptis instituit, atque fundavit, a quibus non tantum animorum in fide conjunctionem, verum etiam externam fidei communis professionem aliosque actus sociales exegit adeo, ut qui ea negligerent, eos etiam a se repudiandos fore palam enunciaverit inquiens: „Omnis, qui confitebitur me coram homini- bus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui in coelis est“<sup>4)</sup>. Et S. Paulus inquit: „Corde creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem“<sup>5)</sup>. Christus venit in mundum, ut religionem inter homi- nes collapsam instauraret, et quidem externa prædi- catione Evangelii, per quam omnes homines in unum ovile visibile seu Ecclesiam, sub visibili pastore a se constituto Petro coadunarentur, et quidem per ritum visibilem externum baptismum in illud ovile homines introirent, reliquisque sacramentis ritibus externis internam sanctificationem operantibus perficerentur, atque externa quoque observantia legum moralium ac

<sup>1)</sup> 1 ad Corinth. I: 9. et II: 9.

<sup>2)</sup> Phil. III. v. 1.

<sup>3)</sup> Phil. I. v. 3.

<sup>4)</sup> Matt. X. v. 32.

<sup>5)</sup> Ad Romanos X. v. 10.

disciplinarium in consecutione finis consociationis suaे adjuvarentur. Imo, cum homines ideo in societatem coalescant, ut conjunctis viribus major finis perfectio obtineatur, quam singuli extra societatem obtainere possent, dum Christus suam societatem Ecclesiam, coadunari constituit, id etiam consilii habuit, ut actibus socialibus, mutua aedificatione et auxiliis ad finem vitae aeternae adjuventur fideles. Societas enim sine actibus socialibus concipi nequit, actus vero so- ciales non absoluti sunt sed necessariam inter se ha- bent correlationem, mutua auxilia et virium conju- ctionem involvunt.

#### § 8. Datur ideo in Ecclesia Christiano-Catholica po- testas legislatoria, judiciaria, et coercitiva.

Ex eo, quod Ecclesia sit societas visibilis et ex- terna, ad perfectionem spiritualem hominum atque vi- tiae sanctimoniam scopo consequendae salutis aeternae a Deo instituta, sequitur, dari in Ecclesia sacrum Imperium seu Regimen, adeoque potestatem legisla- toriam, ad ferendas leges scopo Ecclesiae conformes; judiciariam, ad judicium ferendum super actionibus et moribus Ecclesiae membrorum, dicente Christo: „Si peccaverit in te frater tuus, et te nec coram duohus aut tribus testibus corripientem audierit, dic Ecclesiae“; atque coercitivam, ad cohibendos et pu- niendos legum ecclesiasticarum transgressores, conti- nuative dicente Christo, si autem Ecclesiam non audi- erit sit tibi sicut ethnicus et publicanus, seu ex Ec- clesia ejectus. S. etiam Paulus hujus potestatis coer- citivae conscientia inquit: In promptu habentes ulcisci

omnem inobedientiam<sup>1)</sup>, et alio loco; Quid vultis (minatur) in virga veniam ad vos, an in spiritu charitatis et mansuetudinis<sup>2)</sup> item ad Titum inquit: Argue cum omni imperio<sup>3)</sup> et alibi ait: Ideo haec absens scribo, ut non praesens durius agam secundum potestatem quam Dominus dedit mihi<sup>4)</sup>. Conspicuum autem societatis externae Ecclesiae, et potestatis exemplum exhibent, Actus Apostolorum Cap. IV. v. 32. Multitudinis credentium erat cor unum et anima una: nec quisquam eorum, quae possidebat, aliquid suum dicebat, sed erant illis omnia communia, v. 34. Neque enim quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quae vendebant, et ponebant ante pedes Apostolorum. Dividebatur autem singulis prout cuique opus erat. (Ecce actus socialis.) Quum autem (Cap. V.) Ananias et Saphira fraudassent de pretio venditi agri et partem tantum pretii mentiendo posuissent ad pedes Apostolorum, ob hoc per Pastorem Ecclesiae Petrum a Christo constitutum repentina morte puniti sunt, quod apertum est ex v. 8 et sequentibus: Dixit autem ei (mulieri) Petrus: Dic mihi mulier, si tanti agrum vendidisti? at illa dixit: Etiam tanti. Petrus autem ad eam: Quid utique convenit vobis tentare Spiritum Domini? Ecce pedes eorum, qui sepelierunt virum tuum ad ostium, et efferent te. Confestim cecidit ante pedes ejus, et expiravit. Et factus est timor magnus in universa

<sup>1)</sup> II. ad Corint. X. v. 6.

<sup>2)</sup> I. ad Cor. IV. v. 21.

<sup>3)</sup> II. v. 15. ad Tim. V. v. 20.

<sup>4)</sup> II. ad Cor. III. v. 10.

Ecclesia. Ex quo exemplo colligere licet, Ecclesiam esse societatem, in ea potestatem, Rectorem, Judicem, et Executorem. Unde patet, quantopere hallucinentur illi, qui potestatem Ecclesiae ad pure Spiritualia, atque ad solam praedicationem et exhortationem restringunt, et denegant Ecclesiae jus ad alia media socialia sibi necessaria, atque potestatem puniendi et cogendi sibi subditos ad sibi obsequendum. Patet porro, quantopere errent ipsi Photiani Graeci non uniti, qui Ecclesiam visibilem externam sine Capite visibili extero adstruunt, etiamsi Christus Petrum, Pastorem omnium ovium in unum ovile congregandorum constituerit, et confirmatorem fratrum suorum Apostolorum esse voluerit, quod uberius demonstratur § sequenti.

### § 9. Subjectum potestatis ecclesiasticae.

Christus post resurrectionem suam ascensurus in coelum, loco sui reliquit et constituit Pastorem totius sui gregis, seu sibi Vicarium in terris Petrum, dicendo illi apud Joanem C. XXI v. 15. 16. 17: „Pasce oves meas, pasce agnos meos“, super quem et fundavit Ecclesiam suam visibilem dicens Mat. Cap. XVI v. 18. 19: „Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.... Et tibi dabo claves regni coelorum, et quocunque solveris super terram, erit solutum et in coelis. Et iterum: Ego rogavi pro te (Petre) ut non deficiat fides tua: et tu aliquando conversus confirma fratres tuos“ (Apostolos et Discipulos). Ergo Petrum constituit Christus fundamentum visibile, terrestre, et Rectorem terrestrem Ecclesiae suaे visibilis et terrestris, loco

sui, qui sedet ad dexteram Patris in coelo, hominibus haud visibilis. Ergo Christus Petro non tantum prae-  
cellentiam inter Apostolos, sed distinctum munus Pa-  
storis universi gregis sui contulit, seu Rectorem totius Ecclesiae suaे constituit. Ideo S. Chrysostomus scri-  
bens de Matthiae vocatione in Act. 1. inquit: „Op-  
portuit, ut is Apostolorum collegium compleret, cui totius gregis sui curam commisit Dominus. Os erat Aposto-  
lorum et Princeps: propterea Paulus eum ante alios visurus ascendit (Gal. 1.). Et homilia 55. in Matth.  
inquit idem sanctus Pater: „Pastor et Caput est homo pescator et ignobilis.“ Et infra: „Jeremiam uni genti Pater, hunc autem (Petrum) universo terrarum orbi Christus praeposuit.“ Et alio loco (Tom. 6. p. 282.): „Petrus chori illius coriphæus, os Apostolorum omnium, caput illius familiae, orbis totius praefectus. Ita Theophilus Antiochensis sec. II. Christi verba respi-  
ciens Joannis XXI. affirmat: „Universam Ecclesiam Petrus regendam accepit.“ Et Theophilactus in idem Cap. ult. Joan. atque Patres Concilii chalcedonensis Actione 3-a et 4-a beatum et omni laude dignissimum appellant Petrum, qui est petra et crepido Ecclesiae Catholicae, et rectae fidei fundamentum.“ Quali fundamento cum Ecclesia nunquam carere possit, con-  
sequens est, munus Petro Apostolorum Principi collatum ad regendam universam Christi Ecclesiam, in Ecclesia perdurare debere; neminemque alium Petri successo-  
rem in munere Vicarii Christi in terris agnovisse Ecclesiam quam Episcopum Romanum, cuius Cathedrae primus praesedit Petrus, omnes confitentur. Sed quem-  
admodum reliqui Apostoli fuerunt Petro in regimine Ecclesiae socii, qui etiam juncti cum Petro acceperunt Spiritum sanctum, et missionem Joan. Cap. 20. item

potestatem ligandi et solvendi Math. XVIII. v. 18: ita Apostolorum successores Episcopi idem munus et vocationem in Ecclesia sustinent, suntque Romano Pontifici cum eo conjuncti regiminis Ecclesiae consor-  
tes. Paulus Apostolus testatur, „Episcopos a Spiritu Sancto positos esse regere Ecclesiam Dei“ Act. XX,  
v. 17. Assignmentem tamen particularis gregis acci-  
piunt a Pontifice, qui vi sui muneric universalis Ec-  
clesiae Rectoris et Pastoris particularibus gregibus pastores et rectores Episcopos praeficit, sicque juris-  
dictionem ab eo consequuntur. His conformiter ergo, subjectum potestatis, vel regiminis ecclesiastici, est Petro-Apostolicum, seu Romanus Pontifex, qua Christi in terris Vicarius, cum Episcopis sibi conjunctis.

#### § 10. Haec potestas se extendit 1) ad substantialia religionis.

Cum potestas Ecclesiastica se ad omnia ea ex-  
tendat quae ad finem Ecclesiae, hoc est, religionis integritatem conservandam, et ita salutem aeternam consequendam necessaria sunt: nihil autem magis ne-  
cessarium sit, quam sacras scripturas, divinasque tra-  
ditiones nosse et tamquam fontes divinae revelatio-  
nis recte intelligere, genuinum quoque et incorruptum legum naturalium seu moralium sensum tenere, con-  
sequitur jus potestatis Ecclesiasticae esse: 1) deter-  
minandi librorum divinorum numerum, et si quod du-  
biū oriatur, verum illorum sensum declarandi. 2) Con-  
testandi traditiones divinas et dogmata cum iis con-  
nexa enunciandi. 3) Custodiendi inviolatam juris na-  
turalis sive morum doctrinam, atque eandem contra  
perversa ingenia defendendi.

### § 11. In quibus declarandis Ecclesia est infallibilis.

Dari in Ecclesia Magisterium infallibile, seu quod divina certitudine enunciet veritatem, seu objective veram doctrinam doceat, evincunt verba Christi apud Math. XXVIII. v. 19. et 20. „Euntes ergo inquit Apostolis, docete omnes gentes, baptisantes eos in nomine patris, et filii, et spiritus sancti, docentes eos servare omnia quaecunque mandavi vobis, et ecce Ego vobis cum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.“ Et Joannis XIV. v. 25. 26: Haec ego locutus sum vobis apud vos manens, Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia, quaecunque dixerim vobis. „Et v. 16. 17 ait: Et ego rogabo patrem et alium paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, spiritum veritatis.“ Ideo S. Apostolus Paulus dicit Ecclesiam Dei vivi columnam et firmamentum veritatis“, 1 ad Timot. III. v. 15.). Hinc S. Irenaeus Lib. III. adversus haereses Cap. 4-to inquit: „Non oportet ergo adhuc quaerere apud alios veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere, cum Apostoli quasi in depositarium dives plenissime contulerint omnia, quae sunt veritatis. Imprimis autem Petro super quem fundata est Ecclesia columna et firmamentum veritatis, ejusque successoribus commisit Christus officium confirmandi fratres in fide Lucae XXII. v. 32: „Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos, idest, Apostolos et discipulos“. Ergo Magisterium infallibile non est sine Petro, sed tantum cum Petro; qui petra fidei, in suis successoribus Pontificibus Romanis semper vivit.

### § 12. Potestas Ecclesiastica se extendit 2) ad disciplinaria determinanda.

Cum Christus Magisterio Petro Apostolico in Ecclesia constituto munus regiminis Ecclesiae commiserit: praeter enunciationem verae doctrinae seu dogmatum Ecclesiae, quae immutabilia sunt, ad eandem potestatem Ecclesiasticam spectat ea quoque determinare et sancire quae pro temporum, locorum, personarum, circumstantiarum denique omnium varietate modo fieri, modo omitti expedit, ut in sancta Dei civitate (ad Colos. I. v. 25.) omnia ordine et decenter peragantur (1. ad Cor. XIV. v. 40.). Atque in his disciplina ecclesiastica continetur, quam ordinandi, et iterum immutandi Ecclesiae jus est et potestas. Cujus exemplum praebent ipsa Concilia, quae priorum conciliorum Canones reformati, immutarunt et aboleverunt. Sic v. g. Canon V. Apostolorum de cohabitatione uxorum cum Episcopis sublatus est per Canonem XIII. Trullanum et XLVIII. vum. (Vide et Canonem IV. Carthaginensem.) Talia igitur, quia mutabilia sunt, accidentalia nuncupantur, de quibus Ecclesia pro diversitate circumstantiarum prout fini Ecclesiae magis congruit disponit. Ecclesia nempe Catholica, dum sarta tecta atque immutabilia servat principia super dogmate stabilita. Ecclesia eadem pro munere sibi a Christo commisso dirigendi per suam hierarchiam homines cujuscunque loci ac temporis in viam salutis, necessario debet diversis temporibus ac locis exprimere et evolvere dicta fundamentalia principia, suasque disciplinares praescriptiones eo modo statuere, qui proprio fini idoneus sit et

opportunus, ex quo fit ut Ecclesiae legislatio, ac per consequens. Ecclesiasticum jus saeculorum decursu, et juxta locorum circumstantias necessario subjaceat mutationi; quae utpote fundata in praeterita disciplina, quam Ecclesia ipsa evolvit et variis circumstantiis accommodat; characterem habeat cujusdam evolutionis organicae atque historicae. Quare in legislatione Ecclesiae, non habetur nec immutabilitas, neque illa pharisaica stabilitas inhaerens literae scriptae Canonum antiquorum, propria duntaxat ecclesiarum orientalium schismaticarum, quae ex eo amussim quod destituerentur auctoritate centrali, suprema, vivente semper, ac moderatrice, adhaerere debeant litterae mortuae antiqui juris ut in aliqua, quaecunque deum ipsa foret, sociali unitate se se conservarent.

Finis igitur, natura, atque essentia Ecclesiae Christi necessario exigit evolutionem quamdam, et quamdam mutabilitatem disciplinae ecclesiasticae. Attamen id obtineri non potest absque periculo laedendi principia fundamentalia constitutionis ipsius Ecclesiae, nisi firmiter conservetur unio cum Sancta Sede Apostolica Romana, quae habens in se plenitudinem, universalitatem, suprematiam apostolicae potestatis, et fundata super infallibili suo magisterio ita Ecclesiam regit et gubernat, ut inter variables mundi vicissitudines, et non obstante jugi evolutione ac progressu propriae legislationis, ipsa pergit esse una, sancta, apostolica, et catholica, omnibusque media suppeditat quae magis apta sunt et efficacia ad salutem consequam.

### § 13. De reliquis potestatis ecclesiasticae Subjectis et eorum inter se correlatione.

Duplex datur in Ecclesia potestas, alia regiminis seu jurisdictionis, de cuius subjecto superius § 9. actum est; Ordinis alia, seu ministerii, de qua nunc agendum est. Paulus Apostolus ipse inquit<sup>1)</sup>: „Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei“; Apostolis autem partim ad peragendum cultum divinum cuius essentia est oblatione incruenti altaris sacrificii, partim ad administrationem sacramentorum, Apostolis praedicationi intentis, atque disciplinam religiosam in particularibus gregibus custodiendam Christus alios septuaginta discipulos ad junxit, qui Apostolis adjutorio essent. Lucae Cap. X. v. 1. etc.: „Post haec autem designavit Dominus et alios septuaginta duos; et misit illos binos ante faciem suam, ite; Ecce ego mitto vos“; atque Apostoli hoc Magistri divini exemplo admoniti, et quum ad tantam, quam Deus eis designaverat messem capiendam operarios haud sufficere viderent, ut Ecclesiae saluti prospicerent, alios et sibi adjutores adjecerunt quibus partem potestatis suaे tribuebant nempe Presbyteros, Actorum XIV. v. 22.: „Et cum constituisserint illis per singulas ecclesias Presbyteros.“ Presbyteri ergo sunt idem quod septuaginta erant discipuli, quibus successerunt ex institutione divina<sup>2)</sup>, eo scopo, ut Apostolorum seu Episcoporum labores fulcirent, eosque in animarum cura adjuvarent; qui sunt secundi

<sup>1)</sup> 1. ad Cor. IV. v. 1.

<sup>2)</sup> Confer. Gregor. Niss. de vita Moysis. Chrysost. hom. 38. in I. ad Corint. Hieronym. in epist. ad Faviol.

ordinis sacerdotes, Episcopis primi ordinis sacerdotibus et plenitudinem potestatis habentibus inferiores. Paulus 1. ad Tim. V. v. 19. inquit: „Adversus Presbyterum accusationem noli recipere nisi sub duobus aut tribus testibus.“ Quam in rem Epiphanius, haeresi 75: „Quod autem inquit, non idem esse possit cum Episcopo Presbyter, divini Apostoli sermo declarat, quo quisnam Episcopus, quisque Presbyter, intelligitur. Nam ad Timotheum Episcopum scribens ita loquitur: „Presbyterum ne objurges, sed hortare veluti patrem. Quid autem adtinebat Episcopo vetare, tibi ne Presbyterum objurgaret, nisi majorem supra Presbyterum auctoritatem haberet? Quare deinceps admonet: adversus Presbyterum cito accusationem non admiseris nisi duobus tribus testibus.“ Sed nec omnes functiones sacras quas peragunt Episcopi, possunt peragere etiam Presbyteri, prout non possunt ordinare Presbyteros aut Diaconos, quod est solius Episcopi. (Paulus II. ad Tim. V. v. 22. et ad Tit. I. v. 5.). Ideo S. Hieronymus exponens Cap. I. Epist. ad Titum inquit: „Audiant Episcopi, qui habent constituendi Presbyteros per urbes singulas potestatem.“ Et Auctor Const. Apost. L. 3. C. 1. „Potestatem inquit, non damus nomine Apostolorum ordinandi Diaconos, — sed solis Episcopis“ \*).

#### § 14. Praeter Presbyteros, elegerunt Apostoli et alios, qui Diaconi dicebantur.

Diaconorum institutio Act. Apostolorum Cap. VI. legitur. Diaconatum ex divino consilio et mandato

\*) Confer. Chrysost. hom. 13 in I. ad Tim. Epiph. haer. 75. S. Athan. in Apolog. adversus Arianos.

Christi ab Apostolis institutum fuisse testis est Christo et Apostolis coaevus S. Ignatius Martyr, qui in Epistola ad Ephesios inquit: „Subjecti estote Episcopo, Presbyteris, et Diaconis: qui enim his subjectus est, obedit Christo, qui hos instituit.“ Inde Hierarchia divinae institutionis, docente concilio Tridentino. Sess. XXIII. Can. VI: Siquis dixerit, in Ecclesia Catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quae constat ex Episcopis, Presbyteris, et Ministris; anathema sit.

#### § 15. Notio Hierarchiae.

Auctor Tractatus de Hierarchia coelesti, definit Hierarchiam: „Est ordo, vel ordinatio comprehendens sub se diversos gradus.“ Ad Ecclesiam autem adpllicata describitur: Hierarchia est potestas, quae a Christo supernaturaliter et spiritualiter collata est suis Apostolis et discipulis, ac eorum successoribus legitimis usque ad finem saeculi ad aedificationem Ecclesiae secundum leges evangelicas. Hierarchia haec sicut potestas cuius subjectum Hierarchia, est alia ordinis seu ministerii, alia jurisdictionis seu regiminis; prima vel proxime vel remote circa corpus Christi verum sive Eucharistiam occupatur, secunda vero circa corpus Christi mysticum, omnemque clavum potestatem in se complectitur.

#### § 16. Inde fidelium in Clericos et Laicos divisio, unde colorarium: Ecclesiam esse societatem inaequalem.

Ex eo quod Christus Ecclesiae suae constituerit Praepositos et Rectores, seu sacram Hierarchiam,

fideles Ecclesiae dividuntur in Clericos, et Laicos; nempe ii qui divina mysteria aliis dispensant, Ecclesiaeque, gubernaculo admoti sunt, Clerici, alii vero qui eos audire et iis obedire, atque ab iis mysteriorum divinorum participes fieri debent, Laici dicuntur. Quam in rem inquit Clemens Romanus in priore ad Corinthios epistola: „summo Sacerdoti sua munia tributa sunt: et Sacerdotibus locus proprius assignatus est; et Levitis (Diaconis) sua ministeria incumbunt; homo Laicus paeceptis laicis constringitur.“ Quemadmodum vero jura Rectorum Ecclesiae simul eorum officia sunt, ita falsus esset intuitus: Laicos in Ecclesia tantum obligationes, non autem etiam jura habere; prout est, ut si qualitates a canonibus praescriptas habeant ad sacros ordines promoteantur, ut divinarum gratiarum et bonorum Ecclesiae spiritualium participes fiant; exigendi item, ut ministri sacrorum suis officiis relate ad Laicos adamussim respondeant, atque etiam, ut sanctae vitae exemplo Laicos aedificant; quod si non contingat, jus, coram Superiore Ecclesiae reclamandi, et medelam postulandi, deque vita Ministrorum testimonium ferendi\*). Quumve Christus fundator Ecclesiae ipse discrimen constituerit inter Pastores, et gregem, seu Rectores Ecclesiae, et subditos Laicos fideles, evidens est: Ecclesiam Christi, vi institutionis suae esse societatem inaequalem.

\*) Confer. Schulte Kath. Kirchenrecht 1. Th. Pag. 9.  
Nota 1. § 3.

### § 17. De variis membris Ecclesiae Christiano-Catholicae.

Juxta sanctum Augustinum Ecclesia est corpus vivum inquit Bellarminus<sup>1)</sup>, in quo est anima et corpus. Et quidem anima sunt interna dona Spiritus sancti, fides, spes, charitas; corpus sunt externa professio fidei, et communicatio sacramentorum. Ex quo fit, ut quidam sint membra Ecclesiae de anima et corpore, seu membra viva in corpore Ecclesiae, quamvis inter istos aliqui magis, aliqui minus vitam participant, et aliqui solum initium vitae habeant, fidem habentes cum charitate initiali; talia membra viva Ecclesiae sunt Christiani pii et justi, dein vitae quidem imperfectioris nondum tamen charitate exuti. Alii sunt membra Ecclesiae de anima solum, et non etiam de corpore Ecclesiae, ut catechumeni et excommunicati, si fidem et charitatem habeant, quod fieri potest; ad hos spectant non baptisati, qui legem moralem rationis sequuntur, de quibus Paulus Apostolus inquit: Gentes quae legem non habent naturaliter ea quae legis sunt faciunt, et ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis<sup>2)</sup>, qui naturaliter justi, errore solum invicibili detinentur, quin ad corpus Ecclesiae Christi visibiliter spectent; quales sunt etiam inter baptisatos schismaticorum et haereticorum coetui adscriptos, si pariter errore solum invincibili detineantur a conjunctione visibili cum corpore Ecclesiae. Denique aliqui sunt membra Ecclesiae de corpore tan-

<sup>1)</sup> Bellarmin. De Eccles. Militant. L. III. C. 2. ex Augustino in breviculo collationis. Collat. III.

<sup>2)</sup> Ad Rom. Cap. II. v. 14. 15.

tum, et non etiam de anima, ut qui nullam habent internam virtutem, et tamen spe aut timore aliquo temporali profitentur fidem et in sacramentis communicant sub regimine legitimorum pastorum Christi Vicario in terris Romano Pontifici conjunctorum. Et hi sunt membra Ecclesiae mortua occulti haeretici, Schismatici, et imponitentes improbi, qua illorum improbitate aut incredulitate non obstante in Ecclesia esse censentur, imo in ea etiam gratiarum Ecclesiae dispensandarum instrumenta esse possunt. Namque Sacra menta non operantur ex opere operantis, sed ex opere per Christum operato. Ideo Bellarminus Lib. III. de Eccl. Militante inquit: „Dico igitur Episcopum malum, Presbyterum malum, doctorem malum esse membra mortua, et proinde non vera, corporis Christi seu Ecclesiae, quantum adtinet ad rationem membra, ut est pars quaedam vivi corporis; tamen esse verissima membra in ratione instrumenti, idest, Papam et Episcopos esse vera capita, doctores, veros oculos, seu veram lingvam hujus corporis. Et ratio est, quia membra constituuntur viva per charitatem qua impii carent; at instrumenta operativa constituuntur per potestatem sive ordinis, sive jurisdictionis, quae etiam sine gratia esse potest. Nam etsi in corpore naturali non possit membrum mortuum esse verum instrumentum operationis, tamen in corpore mystico potest. In corpore enim naturali opera pendent ex bonitate instrumenti, quia anima non potest bene operari, nisi per bona instrumenta, nec opera vitae exercere, nisi per instrumenta viva: at in corpore mystico opera non pendent ex bonitate aut vita instrumenti. Anima enim hujus corporis, id est Spiritus Sanctus, aequa bene operatur per instrumenta bona et mala, viva et mortua\*).

\* Apud Walter edit 5. pag. 27. 5.

### § 18. De vario adhuc usu nominis Ecclesia.

Nomen Ecclesia, quae coetum hominum, strictius autem coetum religiosum denotat, sumitur etiam materialiter pro aedificio, in quo homines ad cultum divinum congregantur quasi continens pro contento. Dein sensu particulari dicitur Ecclesia triumphans, eorum qui in coelo, patiens, eorum qui in purgatorio, et militans, eorum qui in hac terra salutem suam operantur, et contra hostes salutis pugnant. Porro Ecclesia respectu temporis, antiqui, et novi Testamenti; respectu linguae vel liturgiae, Ecclesia latina, vel graeca; respectu regionis, Gallica, Hungarica; respectu loci, Ecclesia Magno-Varadinensis, Lugosiensis. Dicitur etiam Ecclesia docens, discens, regens et obediens.

### § 19. De Ecclesia Graeca alias Orientali.

Ecclesia orientalis graeca, et occidentalis latina, nomen accepit a divisione Imperii Romani in Orientale, et occidentale. Orientalis Imperii caput et thronus Imperatoris Constantinopolis, ideoque Ecclesia Constantinopolitana princeps Ecclesia orientalis Imperii et Ecclesiae, ad quam spectabant quatuor Patriarchatus: Alexandrinus, Antiochenus, Hierosolymitanus cum principali propter politicam loci dignitatem Constantinopolitano, cuius liturgiam et disciplinam reliqui quoque Patriarchatus seu dioeceses patriarchales acceptarunt; et ideo vocatur Ecclesia graeca a lingva, qua princeps inter regiones orientales Ecclesia Constantinopolitana sacra peragit, quamvis aliae Nationes

eodem more Constantinopolitano, etiam propria nationali lingua sacra, seu cultum divinum et liturgiam persolvant.

Cum autem Ecclesia Christi profiteatur se unam, sanctam, catholicam et Apostolicam esse, Ecclesia, orientali Imperio Romano complexa quoque, communis totius gregis Domini Pastori in persona beati Principis Apostolorum Petri constituto, usque ad schisma Photii et Cerularii sive medium saeculum undecimum parebat, ejus fidem profitebabatur, et ei obediens erat, juxta Cyprianum in libro de Unitate Ecclesiae Nr. 3. dicentem: „Hanc Ecclesiae unitatem qui non tenet, tenere se fidem credit? Qui Ecclesiae renititur et resistit, qui Cathedram Petri, super quem fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse confidit?“ Egressi ergo sunt orientales, sive Graeci Christiani ex gremio Catholicæ Ecclesiae, abscissi sunt a capite Ecclesiae per Patriarcham Cerularium, cui schismati Imperatores Constantinopolitanus ipsi Pontifices seu Rectores Ecclesiae Graecæ facti, favebant; imprimis, postquam ditio Romana a subjectione Imperatorum Constantinopolitanorum per Carolum Magnum liberata, Pontifici Romano tradita est; post quod, omnis communicatio Graecæ Ecclesiae cum S. Sede Apostolica interrupta, ac ideo etiam celebratio Conciliorum oecumenicorum in Oriente cessavit, in antea celebratorum cum summi Pontificis Romani assensu et approbatione Conciliorum dogmaticis definitionibus, et disciplinariis decretis subsistens Ecclesia Graeca, quin ulterius vitam, tamquam palmes a vite abscissus continuare posset; ab eo tempore, loco cognominis Catholicæ, orthodoxæ Ecclesiae cognomen usurpans, quin perpendiculariter eadem Ecclesia, omnes haeresiarchas sub-

praetextu Orthodoxiaæ seu puritatis doctrinae, quae tamen extra Ecclesiam dari non potest, distinctos a vera Christi Ecclesia coetus formasse. Et si in ea fide glorientur graeci, quam adhuc in Ecclesia Catholica constituti acquisiverunt, illa non propria coetus sui, sed a Catholica Ecclesia accepta fides et doctrina est; quidquid autem tenent quod ab Ecclesia Catholica etiam post schisma ipsorum semper existentis doctrina deviat, haeterodoxum, et illud solum illis proprium est. Et si specialem suam orthodoxiam in eo constituant, quod negent Spiritum Sanctum etiam a Filio procedere, deteriores sunt in hoc ipsis Lutheranis et Calvinianis, qui tamen dogma Catholicum de processione Spiritus Sancti etiam a Filio retinuerunt, conformiter doctrinae S. Pauli et confessioni ipsius quoque Ecclesiae Graecæ, Spiritum Sanctum non tantum Patris, sed etiam Filii spiritum esse, et ideo procedit a Patre quia Patris spiritus est; quoniam autem etiam Filii spiritus est, etiam ab hoc procedere debet, secus non esset spiritus Filii quoque, contra Apostolum. Et sic contradicunt Graeci etiam ipsis Christo, cujus verba: Omnia quae habet Pater mea sunt, propterea dixi, quia spiritus de meo accipiet et annunciat vobis,“ vera non essent; haberet enim Pater iuxta sententiam Graecorum quod Filius non habet, seu procedere Spiritum Sanctum a se. Si porro in eo consistit Graecorum orthodoxyæ, quod negent purgatorium, dum illud practice confitentur sacrificia pro defunctis offerendo, sibi ipsis contradicunt; eo magis, quod iuxta illorum sententiam negato iudicio particulari, non alium statum animarum retinuerint quam detentorum usque ad iudicium universale, ac proinde contradicunt etiam confessioni de invocatione Sanctorum, qui usque

ad extremum judicium visione Dei et beatitate frui non possent; proinde nec nobis opitulari; cum deterior esset sors illorum quam latronis de cruce, cui dixit Christus: hodie mecum eris in paradyso. Sed nec Sanctorum Patriarcharum et Prophetarum liberatio ex loco detentionis per resurgentem Christum, juxta eandem Graecorum orthodoxiam veritas esset. Sed fors in eo tota orthodoxia Graecorum consistet, quod negato visibili capite et centro Unitatis Ecclesiae, tot Ecclesias constituant quot Regna, quae a propriis Synodis regantur. Hoc quidem omnibus sectis commune est, institutioni Christi et doctrinae Patrum adversum, vera et perniciosissima haeterodoxia, quae dogmati per omnem Ecclesiam de Unitate Ecclesiae confessio, contradicit.

#### § 20. De iis, quae Ecclesia Graeca non unita tenet et profitetur.\*)

Ecclesia Graeca schismatica profitetur: 1) dogma Catholicum de Christo Salvatore et Redemptore mundi,

\*) Fontes sunt publicae confessiones et declarationes, quales sunt: 1) Confessio Patriarchae Genadii (prius Georgii Scholarii) Mahomedi II. post captam Constantinopolim exhibita, publici juris facta in opere: Turco-graeciae libri octo a Martino Crusio Basil. fol. 1584-to. 2) Acta et Scripta Theologorum Wirtembergensium et Patriarchae Constantinopolitanus D. Hieremiae: Graece et Latine edita Wittembergae 1584. 3) Confessio Metropolitae Petri Mogilas, Chioviensis, de Anno 1643. cuius novissima editio: Orthodoxa Confessio Orientalis Ecclesiae prodiit Vratislaviae 1751. 8. 4) Declaratio Synodi quoad confessionem Calvinianorum, apud Harduin. Acta Conciliorum Tom. XI. pag. 179—274. 5) Metrophanis Critopuli declarationes privatae, prodierunt sub nomine confessio Ecle-

deque Revelatione per Christum facta, tamquam sola salutifera veritate, atque necessitate fidei ad salutem. Concilium Hierosolymitanum 1672 Cap. IX. inquit: „credimus neminem sine fide salvari (Harduin T. XI. pag. 239.). 2) Ecclesia Graeca credit Fontes Revelationis esse sacram scripturam et traditionem (Orthodoxa Confessio Part. 1. qu. 4.)<sup>1)</sup>. 3) Recipit Ecclesia Graeca omnes libros sacros Ecclesiae Catholicae. Synodus Hierosolymana 1692. qu. III. inquit: „Ecclesiae Catholicae regulam sequentes, sacram scripturam eos omnes appellamus libros, quos ab Laodicena Synodo Cyrillus, ipso quidem corrogante, probatos recenset; iis in super additis, quos insipiente, inscite, aut magis malitiose vocavit apocryphos; sapientiam videlicet Salomonis, librum Judith, Tobiam, Draconis historiam, historiam Susannae, Machabaeos, et sapientiam Sirach. — Quos omnes et nos judicamus esse Canonicos, et sacram eos esse scripturam confitemur“<sup>2)</sup>.

4) Attamen credit Ecclesia, neque sacram scripturam cum orali traditione sufficere, verum requiri enunciationem sensus scripturarum, et Ecclesiae dogmatum, per institutum a Christo Magisterium, seu Episcopatum, cui in docendo assistit Spiritus Sanctus<sup>3)</sup>.

siae orientalis Helmstadii 1661. 4. 6. Opera Theologica Th. Procopovicz: Christiana orthodoxa Theologia. Regio-monti 1773—758. 5. Tom. Compendium item Theologiae a Platon, versum Germanice prodiit. Rigae, 1770. 8.

<sup>1)</sup> Gemina ac duplicita Ecclesiae dogmata sunt: alia litteris mandata in sacris scripturis, alia viva voce ab Apostolis tradita; binisque his fundamentis fides superstructa exstat.

<sup>2)</sup> Harduin. Tomo XI. pag. 258.

<sup>3)</sup> Orthodoxa Confessio Part. 1. qu. 72.: Quidquid sancti Patres, in omnibus universalibus, atque particularibus orthodoxis

5) Profitetur Ecclesia Graeca Mysteriorum Dei dispensationem eidem Episcopatui concreditam esse\*).

6) Docent Graeci, Ecclesiam esse visibilem con-

conciliis, quoque tandem loco habitis, statuerunt; id a Spiritu Sancto prefectum esse credas oportet. Ibidem Parte 1. qu. 96. Ecclesia habet Spiritum Sanctum, qui illam perpetuo docet et instruit. — Quando itaque nos in illam credere profitemur; intelligimus nos credere in traditas divinitus sacras illius scripturas, et inspirata a Deo dogmata. — Hinc adducimur ad fidem habendam non modo sacro Evangelio ab Ecclesia recepto, verum etiam reliquis omnibus sacris Scripturis, et synodicis Decretis. — Jeremias in Act. Wirtemb. p. 142: Non nobis licet nostrae propriae confidendo explicationi, aliquid divinae scripturae dictum aliter intelligere, animadverte aut interpretari, nisi quemadmodum theologis istis visum est, qui a sanctis Synodis in Sancto Spiritu ad prius scopum probati receptique sunt. Synodus Hierosolym. a 1672. Capit. II. (Harduin. XI. pag. 235.). „Credimus sacras Scripturas a Deo fuisse revelatas, eisque propterea, non quidem ut libuerit, sed secundum Ecclesiae Catholicae traditionem et interpretationem, adhibendam esse fidem omni dubitatione majorem. — Quamobrem eandem esse Ecclesiae Catholicae auctoritatem credimus, quam sacrae Scripturae. Enimvero utriusque auctor cum sit Spiritus Sanctus, per inde est Catholicam Ecclesiam audieris, ac sacram Scripturam (juxta sensum tamen Ecclesiae).“

\*) Synod. Hierosol. a 1672. Capitul X. (Harduin Tom. XI. pag. 242.) „Apostolorum successor Episcopus, impositione manuum, et Sancti Spiritus invocatione, datam sibi a Deo ex successione continua ligandi solvendique potestatem cum acceperit, viva Dei imago est in terris, et auctoris Sancti Spiritus operationis participatione plenissima, fons omnium Ecclesiae Catholicae sacramentorum, quibus ad salutem pervenimus. — Transiisse autem ad nos usque magnum Episcopatus sacramentum et dignitatem, manifestum.“

junctionem fidelium cum Episcopis, quia Vicariis Christi in terris<sup>1)</sup>.

7) Ecclesia Graeca etiam confitetur Christi Ecclesiam esse unam, sanctam, Catholicam, et Apostolicam<sup>2)</sup>.

8) Ideo Ecclesiam docent esse solam salvificam, seu unicam viam ad salutem, quam ostendit Ecclesia<sup>3)</sup>.

<sup>1)</sup> Orthodoxa Confessio Parte 1. qu. 85. „Docemur Christum solum Ecclesiae Caput esse. — Tametsi vero antistites in Ecclesiis quaeis praesunt, capita eorum dicuntur: sic illud tamen acepiendum, quod ipsi vicarii Christi, in sua quisque provincia et particularia quaedam capita sint.“ Quis jam non admiretur Graecorum horum inconsequentiam? dum illi, singulis Ecclesiis Capita et Vicarios Christi praeponunt, visibili capite totam Ecclesiam spoliant; spoliant centro unitatis, sine quo unitas Ecclesiae concipi nequit, quod sancti Patres unanimi consensione docent.

<sup>2)</sup> Orthodoxa Confessio Part. I. quaest. 83: „Ecclesiam docemur esse unam, sanctam, catholicam, et apostolicam.“ Quae tamen Ecclesiae Graecae particulari a centro unitatis et corpore Ecclesiae abscissae, non congruunt, dicente Sancto Cypriano Epistola XL.: „Deus unus est, et Christus unus, et una Ecclesia, et cathedra una super Petrum Domini voce fundata.

(Confer. Walter editio 5-ta § 26. et 27.)

<sup>3)</sup> Sed non Graeca, verum Catholicam Christi Ecclesia, Platonisque Theologi Russici vana assertio est: Ecclesiam Russicam esse veram Christi Ecclesiam non tantum, sed etiam unam eandemque ab Origine mundi. (Vide Platon. Doctrina orthodoxa T. II. § 28.) Ecclesia namque Russica non ab origine mundi una eademque est. Quis namque nescit, Russos saeculo 9-no ad fidem Christi conversos cum tota Ecclesia Graeca partem Catholicae Ecclesiae constituisse, atque postmodum cum Graecis a corpore Ecclesiae abscisso fuisse, et iterum saeculo 16-to ad finem vergente magna in parte ad

9) Distinguunt Graeci inter essentialia Ecclesiae, et accidentalia, priora sunt Ecclesiae dogmata, im-

Catholicam Ecclesiam reversos esse, prout Clemens VIII. summus Pontifex, in Decreto doto 23. Decembris 1595. innuit, dicens: „Et ne veterem antiquitatis memoriam repetamus, novissime his diebus nostris illustre reconciliationis et reversio- nis ad Catholicam Ecclesiam exemplum exstitit Ruthenorum Episcoporum: Antea siquidem Rutheni Episcopi, atque ea omnis copiosa et clara natio cum Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum Matre et Magistra non communicabat, et luctuo- sum Graecorum Schisma sequebatur: ex quo sane schismate, quod intimo cum dolore commemoramus, innumerabiles aeru- mnae, et miseriae ad nobilissimam Graecorum gentem tamquam a fonte quodam promanarunt. Nuper vero Venerabilis Frater Michael Archi-Episcopus et Metropolita Kioviensis, Haliciensis ac totius Russiae et cum eo plerique ejus comprovinciales Episcopi, divina Spiritus Sancti luce eorum corda collustrante, coeperunt ipsi secum cogitare et serio tractare, se, et greges quos pascerent, non esse membra corporis Christi quod est Ecclesia, qui visibili ipsius Ecclesiae capiti summo Remano Pontifici non cohaererent, et propterea spiritualis vitae influxus se non posse capere, neque crescere in charitate, cum ab eo essent disjuncti, ex quo secundum Deum pendet totum corpus compactum, et connexum per omnem juncturam subministra- tionis in mensuram operationis uniuscujusque membra: quin etiam se omnibus animae periculis, et insidiis Principis tene- brarum tamquam leonis rugientis propositos esse, qui intra ovile Christi, intra arcum salutis, et intra Domum illam nor- essent, quae est aedifieata supra petram, quam flumina et venti irruentes nequeunt prosternere, in qua sola domo Agnus ille ad vitae fructum comeditur, qui tollit peccata mundi. Quamobrem pro consilio, et salutari deliberatione inter se statuerunt ac firmiter decreverunt, redire ad suam et omnium fidelium Matrem Romanam Ecclesiam, reverti ad Romanum Pontificem Christi in terris vicarium, et totius populi christiani communem Patrem et pastorem, longo quidem temporis inter-

mutabilia, aeterna, a Deo revelata et a Spiritu Sancto per Magisterium Ecclesiae enunciata; posteriora Ecclesiasticae institutionis, pro majori animarum com- modo mutabilia, uti Ritus, et Disciplina<sup>1)</sup>.

### § 21. De Hierarchy.

Ecclesia Graeca, ex Ecclesia adhuc Catholica re- tinuit Hierarchiam divinae institutionis, quae constat ex Episcopis, Presbyteris, et Diaconis, inferioribusque Ministris, qui sunt Subdiaconi, Lectores, Cantores, Ostiarii, Acoliti, qui ordinatione per Episcopum con- stituuntur<sup>2)</sup>. Apex Sacerdotii est Episcopus, qui ha- bet plenitudinem potestatis sacrae. Episcopis sub- sunt Presbyteri, sen Sacerdotes simplices<sup>3)</sup>, qui ab

vallo post annos fere centum quinquaginta, et amplius, poste- quam primum a piae memoriae Eugenio Papa IV. in Gene- rali Concilio Florentino Graeci recepti et reconciliati Ecclesiae fuerant.

<sup>1)</sup> Platon, Doctrina Orthodoxa Tom. II. § 40. Obser- vatio: sunt in Ecclesia multi ab Apostolis, aut eorum succe- soribus instituti Ritus et observantiae, a sancta antiquitate custoditae, a quibus quidem salus haud unice dependet, utiles tamen sunt.

<sup>2)</sup> Orthodoxa Confessio Part. I. qu. III.: Sacerdotium caeteros omnes in se continet gradus, qui nibilo secius legi- timo ordine conferri debent: uti Lector, Cantor, Lampadarius, Subdiaconus, Diaconus.

<sup>3)</sup> Synodus Hierosolymit. a 1672. Capit. X. (Harduin T. XI. pag. 243.) Superiorum vero esse simplici sacerdotio pontificiam dignitatem, vel inde liquet, quod sacerdotem con- secret Episcopus, non vero a sacerdote, sed a duabus tri- busve Pontificibus, juxta Apostolorum Canones, Episcopus consecretur.

Episcopis obtinent jurisdictionem et facultatem, sine qua nihil Sacerdotalis agere possunt\*). Episcopis in Ecclesia Graeca praesunt Metropolitae, et Exarchi, qui quasi Patriarchae sunt, et in apice Patriarchae. In Ecclesia Russica et Graeca, loco Patriarchae, Synodus dirigens, negotia Ecclesiastica in suprema instantia decidit.

### § 22. De Ecclesia Graeco Catholica.

Ecclesiam Graeco Catholicam constituunt illi Catholici Christiani, qui Ritum Graecum observant et disciplinam in Synodis Orientalibus decretam, per sanctam sedem Apostolicam approbatam, in sensu unionis Graecae et Latinae Ecclesiae in Concilio Florentino renovatae, cuius Decretum sequens est;

**Eugenius Episcopus, Servus Servorum Dei.**

**Ad perpetuam rei memoriam.**

Consentiente ad infra scripta carissimo in Christo filio nostro Joanne Palaeologo Romanorum imperatore illustri, et locatenentibus venerabilium Fratrum nostorum patriarcharum, et caeteris orientalem Ecclesiam repraesentantibus.

Laetentur coeli, et exultet terra; sublatus est enim de medio paries, qui occidentalem orientalemque dividebat Ecclesiam: et pax atque concordia, rediit, illo angulari lapide Christo, qui fecit utraque unum, vinculo fortissimo caritatis et pacis utrumque jungente parietem, et perpetuae unitatis foedere copulante ac continente; postque longam moeroris nebulam, et dis-

sidii diuturni atram ingentemque caliginem, serenum omnibus unionis optatae jubar illuxit. Gaudeat et mater Ecclesia, quae filios suos hactenus invicem dissidentes, jam videt in unitatem pacemque rediisse; et quae antea in eorum separatione amarissime flebat, ex ipsorum modo mira concordia cum ineffabili gaudio Omnipotenti Deo gratias referat. Cuncti gratulentur fideles ubique per orbem, et qui christiano censemur nomine matri Ecclesiae Catholicae collaetentur. Ecce enim occidentales, orientalesque Patres, post longissimum dissensionis atque discordiae tempus, se maris et terrae periculis exponentes, omnibus superatis laboribus, ad hoc sacrum oecumenicum Concilium, desiderio sacratissimae unionis, et antiquae caritatis redintegrandae gratia, laeti alacresque convenerunt, et intentione sua nequaquam frustrati sunt. Post longam enim laboriosamque indaginem, tandem Spiritus Sancti Clementia ipsam optatissimam sanctissimamque unionem consecuti sunt. Quis igitur dignas Omnipotentis Dei beneficiis gratias referre sufficiat? Quis tantae divinae miserationis divitias non obstupescat? Cujus vel ferreum pectus tanta supernae pietatis magnitudo non molliat? Sunt ista prorsus divina opera, non humanae fragilitatis inventa, atque ideo eximia cum veneratione suscipienda, et divinis laudibus prosequenda. Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio, Christe, fons misericordiarum, qui tantum boni sponsae tuae Catholicae Ecclesiae contulisti, atque in generatione nostra tuae pietatis miracula demonstrasti, ut enarrent omnes mirabilia tua. Magnum siquidem divinumque munus nobis Deus largitus est: oculis videmus, quod ante nos multi, cum valde cupierint aspicere, nequiverunt.

\*) Canon XXXIX. SS. Apostolor.

Convenientes etiam Latini et Graeci in hac sacro-sancta oecumenica Synodo, magno studio invicem usi sunt, ut inter alia etiam articulus ille de divina Spiritus Sancti processione summa cum diligentia et assidua inquisitione discuteretur. Prolatis vero testimoniis ex divinis scripturis, plurimisque auctoritatibus sanctorum doctorum orientalium et occidentalium; aliquibus quidem ex Patre et Filio, quibusdam vero ex Patre per Filium procedere dicentibus Spiritum Sanctum, et ad eam intelligentiam aspicientibus omnibus sub diversis vocabulis; Graeci quidem asseruerunt, quod id quod dicunt Spiritum Sanctum ex Patre procedere, non hac mente proferunt ut excludant Filium, sed quia eis videbatur ut aiunt, Latinos asserere Spiritum Sanctum ex Patre et Filio procedere tamquam ex duobus principiis et duabus spirationibus, ideo abstinuerunt a dicendo, quod Spiritus Sanctus ex Patre procedat et Filio. Latini vero asseruerunt, non se hac mente dicere Spiritum Sanctum ex Patre Filioque procedere, ut excludant Patrem, quin sit fons et principium totius deitatis, Filii scilicet et Spiritus Sancti; aut id, quod Spiritus Sanetus procedit ex Filio, Filius a Patre non habeat, sive quod duo ponant esse principia, seu duas spirations, sed unum tantum asserant esse principium, unicamque spirationem Spiritus Sancti, prout hactenus asseruerunt. Et cum ex his omnibus unus et idem eliciatur veritatis sensus, tandem in infra scriptam sanctam et Deo amabilem, eodem sensu eademque mente unionem unanimiter concordarunt et consenserunt.

In nomine igitur Sanctae Trinitatis: Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, hoc sacro approbante universali Florentino Concilio definitus, ut haec fidei veri-

tas ab omnibus christianis credatur et suscipiantur, sique omnes profiteantur:

Quod Spiritus Sanctus ex Patre et Filio aeternaliter est, et essentiam suam suumque esse subsistens habet ex Patre, simul et Filio, et ex utroque aeternaliter tamquam ab uno principio et unica spiratione procedit. Declarantes, quod id quod sancti doctores et patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum Sanctum, ad hanc intelligentiam tendit, ut per hoc significetur, Filium quoque esse secundum Graecos quidem causam, secundum Latinos vero principium subsistentiae Spiritus Sancti, sicut et Patrem; et quoniam omnia quae Patris sunt, Pater ipse unigenito Filio suo gignendo dedit, praeter esse Patrem; hoc ipsum, quod Spiritus Sanctus procedit ex Filio, ipse Filius a Patre aeternaliter habet, a quo etiam aeternaliter genitus est.

Definimus insuper, explicationem verborum illorum, Filioque, veritatis declarandae gratia, et imminente tum necessitate, licite et rationabiliter symbolo fuisse appositam.

Item in azymo, sive fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici, sacerdotesque in altero ipsum Domini corpus conficere debere, unumquemque scilicet juxta suae Ecclesiae, sive occidentalis, sive orientalis consuetudinem.

Item si vere poenitentes in Dei caritate decesserint, antequam dignis poenitentiae fructibus de commissis satisfecerint et omissis, eorum animas poenis purgatoriis post mortem purgari; et ut a poenis hujusmodi releventur, prodesse eis fidelium vivorum suffragia, missarum scilicet sacrificia, orationes et elemosynas, ac alia pietatis officia, quae a fidelibus pro

aliis fidelibus fieri consvererunt secundum Ecclesiae instituta. Illorumque animas, qui post baptismum susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quae post contractam peccati maculam in suis corporibus, vel eisdem exutae corporibus (prout superius dictum est) sunt purgatae, in coelum mox recipi, et intueri clare ipsum Deum trinum et unum, sicuti est, pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius. Illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas.

Item definimus, Sanctam Apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere Primum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri principis Apostolorum, et verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiae Caput, et omnium Christianorum patrem et doctorem existere, et ipsi in beato Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis oecumenicorum conciliorum et sacris canonicibus continetur.

Renovantes insuper ordinem traditum in canonibus, ceterorum venerabilium Patriarcharum, ut Patriarcha Constantinopolitanus secundus sit post sanctissimum Romanum Pontificem, tertius vero Alexandrinus, quartus autem Antiochenus, et quintus Hierosolymitanus, salvis videlicet privilegiis et juribus eorum.

Datum Florentiae in sessione publica synodali in Ecclesia majori solemniter celebrata, anno Incarnationis dominicae milesimo quadringentesimo trige-

simo nono, pridie nonas Julii, Pontificatus nostri anno nono.

(Sequuntur subscriptiones.)

### § 23. Consequentiae ex pacto Unionis.

Ex eo, quod in Concilio Florentino communi Ecclesiae Graecæ et Latinae consensu dogma enunciatum sit: Romanum Pontificem esse successorem Principis Apostolorum, Verum Christi Vicarium, totius Ecclesiae Christianae caput, totius generis humani patrem et Doctorem, universalis Ecclesiae Rectorem et Gubernatorem e divina institutione, consequitur: unionem consistere in subjectione sanctae sedi Apostolicae seu Romano Pontifici tamquam Magisterio communi et Regimini; hinc de pacto unionis:

1) Graeco Catholici eandem cum Latinis et ceteris Ecclesiae membris tenere et profiteri debent fidem, quam ab eodem communi Ecclesiae Magisterio descendam habent. Quidquid ergo in Conciliis Oecumenicis ab initio Ecclesiae usque finem seculorum auctoritate Romani Pontificis congregatis, aut approbatis et approbandis, fidei dogma enunciatum est, aut enunciabitur, id Graeco-Catholicorum quoque fides esse debet. Ergo Graeco-Catholici respectu fidei recipiunt omnia Concilia oecumenica non tantum orientalia, sed etiam occidentalia, aut ubicunque celebrata, et imposterum celebranda.

2) Utraque Ecclesia Graeca et Latina suum retinet proprium Ecclesiasticum Ritum per sanctam sedem Apostolicam adprobatum, seu in quantum approbatus est, cum consensu sanctae sedis Apostolicae perfectibilem, nunquam tamen sine permissione summi Pon-

tificis in quacunque parte mutabilem, aut reformabilem.

3) Cum omnium ovium et agnorum suorum curam concrederit Christus Petro, et successoribus Pontificibus Romanis, Romanus Pontifex eandem habet supremi Pastoris potestatem in singulos Ecclesiae Catholicae fideles sive Graeci, sive Latini, aut cujuscunque Ritus aut linguae illi sint. Nec possunt sine auctoritate Pontificis Romani ulli Pastores legitimi, sive Episcopi constitui, qui a Romano Pontifice, cuius omnes fideles proprii sunt, in quamcunque portionem gregis Domini accipere debent jurisdictionem. Romanusque Pontifex qua universalis pastor, etiam quoad Graecos fideles idem jus habet casus sibi reservandi, sicut quoad Latinos, jusque habet super petitionibus et querelis clericorum et fidelium etiam graeco-catholicon in suprema instantia cognoscendi et decidendi.

4) Cum eadem sint in Ecclesia fidei et morum principia, quibus ipsa Ecclesiastica disciplina superstructa est, hanc disciplinam toti Ecclesiae communem esse, seu dari in Ecclesia Catholica jus commune, consequens est: v. g. Matrimonium ex Capite adulterii nec apud Graeco-Catholicos solvi posse, quoniam commune est totius Ecclesiae catholicae principium, Apostolica, et Evangelica atque Catholica doctrina, seu dogma Ecclesiae: Matrimonium ratum et consummatum non nisi morte solvi. (Vide Canonem 44-tum Apostolorum et 113-tum Carthaginem.) Similiter in Matrimonio rato et consummato, neutrum conjugum habere potestatem absque alterius consensu professionem Monasticam eliciendi, quia est contra pactum seu jus naturale. Ad jus commune spectant etiam Decreta disciplinaria per summos Pontifices pro tota

Ecclesia publicata, prout etiam decisiones curiae Romanae in expressis et analogis casibus (vide § 31). Si quae autem disciplina tam Graecae quam Latinae Ecclesiae singularis aut propria est, ea per sanctam sedem Apostolicam aut positive adprobata, aut non reprobata esse debet; quocunque enim idem summus Ecclesiae Pastor et Rector non probaverit, regula in Ecclesia esse non potest. Idem valet etiam de consuetudinibus; reprobatae enim per summum Pontificem consuetudines pro abolitis considerandae sunt.

5) Quemadmodum sedes Apostolica non intermisit, quoties rationi consentaneum putavit, aut adsciscere in universam Latinam Ecclesiam Ritus, qui ad Graecam Ecclesiam pertinebant, aut permettere, ut peculiares quidam Ritus et observantiae, quae ab Ecclesia Graeca manarunt, in nonnullis Latinis Ecclesiis observarentur;\*) quemadmodum inquam Ecclesia Latina plura a sorore Ecclesia Graeca, cum approbatione s. sedis Apostolicae adoptavit, ita Ecclesia Graeco-Catholica, cessante per Schisma Graecorum legislatione disciplinari propria, cum praehabita ex Catholica unione, pro progredientium temporum circumstantiis, pro ulterioris vitae suae Ecclesiasticae evolutione haud sufficiebant, a sorore Ecclesia Latina plura adoptare necesse habuit, sicut est: electio Vicarii Capitularis sede Episcopali vacante. Celebratio Synodorum Dioecesatarum, cum Codex Ecclesiae Orientalis tantum de Synodis Episcoporum seu Metropolitanis et Patriarchalibus agat. De Capitulis Ecclesiarum Cathedralium, aliaque, quae hoc Opere uberior exponentur, consequens est, haec quoque ad communem utriusque Ecclesiae disciplinam spectare, quae, ex Ecclesiae Graec-

\*) Benedict. XIV. „Allatae“ Nro. 28.

cae privatis fontibus non, sed ex Ecclesiae Latinae codice et legislatione innotescunt. Hanc proinde Graeco-Catholicis noscere necessum est, etiamsi leges disciplinares pro Ecclesia Latina latae, suapte indole Graeco-Catholicos haud obligent, nisi eae, sive expresse dum feruntur, sive postmodum peculiaribus sanctae sedis Apostolicae decretis etiam pro Graeco-Catholicis praescribantur. Et ideo hoc opere etiam codicem Ecclesiae Latinae completemur, ut Clerus Graeco-Catholicus ejus quoque usum facere sciatur in iis, in quibus codex Ecclesiae Graecae non sufficit<sup>1)</sup>.

#### § 24. Notio Juris in genere, et Ecclesiastici in specie.

Jus<sup>2)</sup>, in genere est dictamen rectae rationis aut positivae legis, entincians: quid homini in externis suis ad alios relationibus liceat. Dividitur in naturale, si facultas agendi ex dictamine rationis, sive ex indole hominis morali ducatur, et positivum, si facultas agendi positiva Legislatoris legibus expressa voluntate determinetur. Jus positivum iterum est vel civile, si legislator sit civilis, vel Ecclesiasticum<sup>3)</sup>, si legislator Ecclesiasticus sit. Jus Ecclesiasticum ergo sensu lato definitur: Est complexus legum et principiorum, quibus jura et officia juridica Ecclesiae ejus-

<sup>1)</sup> Ipsi Pedalionis, seu Codicis Canonum Graeci commentatores Schismatici Nota 2. ad Canonem II. Trullanum inquit: Quemadmodum Concilium Oecumenicum V. acceptavit opera S. Augustini et Ambrosii, in quibus propugnarunt fidem contra haereticos; ita et nos quae congruunt Synodorum Occidentalium acceptamus.

<sup>2)</sup> Porubszky. Pag. 2.

<sup>3)</sup> Alias Canonicum a Canone seu regula nominatum, etiam sacrum, ad distinctionem a Jure protano.

que membrorum, ut talium, pro exterioribus relationibus determinantur. Quo sensu ad Jus Ecclesiasticum spectant etiam multae leges naturales et positivae Divinae, quas infallibili sua auctoritate Ecclesia declarat, promulgat et urget. Sensu vero stricto Jus Ecclesiasticum est complexus legum, quae per potestatem Ecclesiasticam pro externis relationibus ad finem Ecclesiae proprium feruntur; seu est scientia disciplinae ecclesiasticae. Atque haec Jurisprudentia ecclesiastica est habitus leges ecclesiasticas interpretandi, iisque casus obvenientes applicandi.

#### § 25. Divisio Juris Ecclesiastici.

Jus Ecclesiasticum dividitur: 1) Ratione modi, quo leges Ecclesiasticae innotescunt, in scriptum, si leges litteris mandatae seu scriptae sint, et non scriptum, si leges traditione aut consuetudine nitantur. 2) Ratione temporis, in Vetus (in Ecclesia Latina ante tridentinum) pro Ecclesia vero Graeco Catholica ante-photianum) et novum, (latinum post-tridentinum) graecum vero-postphotianum. 3) Ratione subjectorum, pro quibus leges feruntur, in commune, quantum omnes Ecclesiae fideles obligant, et particolare, seu leges pro particularibus coetibus ecclesiasticis latae; ideo Jus Graecum, et Jus Latinum, vel patriarchale, provinciale, dioecesanum. 4) Ratione objecti, in generale seu fundamentale, quantum exponit cognitiones Juris ecclesiastici primarias dogmaticas de constitutione Ecclesiae et ejus ad universum genus humanum relatione; vel speciale, de juribus et officiis, quae e triplici Ecclesiae potestate: docendi, functiones sacras obeundi, et

regendi profluunt<sup>1)</sup>. Alii autem dividunt Jus Ecclesiasticum ratione objecti, ad analogiam Juris civilis, ex principio, quod Ecclesia sit societas inaequalis, in qua est Regimen, et qui reguntur, in publicum, quod Ecclesiae et qui potestatem in ea gerunt, ac privatum, quod privatorum Ecclesiae membrorum jura et officia exponit; publicum iterum in internum, quod eorum, qui in Ecclesia praesunt, jura et officia exponit, et externum, quod relationem Ecclesiae ad Civitatem et Acatholicos determinat; privatum vero rursus tres partes complectitur, nempe de personis, rebus, et iudiciis, quam divisionem nos quoque retinemus, et juxta eam Jurisprudentiam hanc Ecclesiasticae pertractabimus.

### § 26. Jurisprudentiae Ecclesiasticae necessitas et utilitas.

Ex eo, quod Ecclesia sit societas a Deo ipso instituta, cuius leges ad observandum feruntur, membra Ecclesiae eas leges scire debent. Imprimis autem Clericis summe necessaria est scientia Jurisprudentiae sacrae, sine qua officio suo applicandi leges ecclesiasticas tum ad se, tum etiam ad concreditos fideles, respondere non possunt<sup>2)</sup>. Unde recte praecepit Coelestinus Pontifex: „Nulli sacerdotum liceat Canones ignorare“<sup>3)</sup>. Laicis etiam imprimis Advocatis, Judicibus, et iis, qui a consiliis Principum sunt. Namque

<sup>1)</sup> Porubszky. Pag. 3.

<sup>2)</sup> C. 1. de Constit.: Nemo in actionibus vel iudiciis ecclesiasticis suo sensu, sed canonum auctoritate ducatur.

<sup>3)</sup> C. 4. D. 38. V. et C. 1. ibid.

a) Jus Ecclesiasticum suprema omnis juris et divini principia tradit, b) Jus hoc in ipsam vitam civilem maximum habet influxum, c) Jus Ecclesiasticum ponit et determinat limites utriusque potestatis tam ecclesiasticae quam civilis, a quorum observantia concordia inter sacerdotium et imperium dependet.

### § 27. De Fontibus Juris Ecclesiastici.

Fons Juris est ratio, propter quam norma aliqua sive regula vim obligandi habet, quae juxta Ecclesiae constitutionem est auctoritas legislatoris, idest potestatis ecclesiasticae § 12, quae semper viva est, et pro quolibet determinato tempore eidem normae impertitur vim obligandi hic et nunc suos subditos, sive norma illa antiquissima sit et non revocata, sive de novo praescribatur, sive in legitima consuetudine fundamentum agnoscat, sive naturam habeat legis generalis aut particularis. At vero quoniam vi principii commemorati legislatio Ecclesiae characterem praeservat cujusdam evolutionis organicae et historicae, et Ecclesia, seu potestas legislativa est essentialiter conservatrix, idcirco cognitio Juris ecclesiastici actualis et vigentis seu omnium normarum, quae hec et nunc vim obligandi habent, exigit et supponit cognitionem legislationis et juris, quae anteactis temporibus vigerunt, atque ita etiam documenta historica, quae legislationem et consuetudines Ecclesiae nobis conservant, fontes juris appellantur, quatenus ex documentis iisdem noscere possumus quae normae, seu regulae obligandi vim habuerint praeteritis temporibus, quae abrogatae fuerint, et quae eamdem obligandi vim in praesentiarum quoque habere pergunt. Sed normae

positivae quae in Canonibus conciliorum, in Decretalibus summorum Pontificum, et in legitima consuetudine continentur, hic et nunc relate ad nos nec vim obligandi habent, nec fontes sunt Juris ecclesiastici, nisi quatenus a praesenti legislativa auctoritate expresse aut tacite obligandi vis in iisdem agnoscitur. Quapropter ad hoc ut determinetur quodnam sit Jus Canonicum actu vigens et obligans, haud sufficit in medium proferre Canones conciliorum et Pontificias decretales, collectionem aliquam sive authenticam, sive privatam, vel alicujus sancti Patris sententiam, sed demonstrare insuper oportet obligationem ab iis Canonibus, decretalibus etcet. inductam adhuc perdurare, et sustineri a praesenti legitima Ecclesiae auctoritate. His praemissis speciales Fontes Juris Ecclesiastici sunt;

### § 28. Divina Revelatio.

Auctor Ecclesiae Deus est, secundum ejus Revelationem, quam cognoscimus ex sacra Scriptura et Traditione. Sacra Scriptura est veteris et novi Testamenti. Prior, etiam si fontem Juris Ecclesiastici proprie non constitutat, quia tamen utrumque Foedus arcto inter se nexus junctum est. Novum enim Foedus in veteri latet, et vetus in novo patet, magna est etiam veteris Testamenti sacrae Scripturae in Jure ecclesiastico utilitas. Ita plura Juris ecclesiastici capita e veteri Foedere illustrantur et confirmantur, sic dogma de distinctione inter Clericos et Laicos etc.; item argumenta gravia ex eo desumi possunt pro variis Cleri et Ecclesiae immunitatibus, eo majori ratione Ecclesiae Christianae competentibus, quod eae

Sacerdotibus et Ecclesiae veteris Foederis quoque concessae fuerint. Plures etiam leges veteris Testamenti, quatenus ad rectum Christianae quoque societatis regimen conducere videbantur, prout poenae Exod. 21. et 22. contra homicidas, fures, adulteros; item de decimis, de prohibito matrimonio ob cognationem et alia.

Imprimis autem sacra Scriptura novi Testimenti proprius Juris Ecclesiastici fons est, in qua fundamentales Ecclesiae Christianae leges, ab ipso Salvatore generis humani et auctore Ecclesiae Jesu Christo Deo latae, tamquam leges constitutivae depositae comprehenduntur<sup>1)</sup>.

Sed et traditionem Ecclesia orientalis ut fontem legum suarum veneratur, teste S. Basilio Magno Can. 90. et 91.: „Multas inquit, innumeratasque habet Ecclesia non scriptas traditiones. Traditiones etiam non scriptae juxta Apostolum observandae sunt, ait enim: „Laudo vos, quoniam prout tradidi vobis traditionem, ita observatis“; item alibi: „Observe traditiones prout percepistis“<sup>2)</sup>. Relate ad Revelationem obser-

<sup>1)</sup> Nota. Praecepta, quae in SS. Libris novi Testimenti continentur alia sunt divina, alia apostolica (1. Cor. 7. 10. et 12.). Inter quae ea est differentia, quod praeepta divina, seu quae ipse Christus dedit, vel apostoli ex ore Christi accepta descripsérunt, nulli derogationi vel abrogationi sunt obnoxia, sed perpetua et inviolabilia manere debeant: at vero praecepta, quae Apostoli propria auctoritate tradiderunt, quamquam in sacris literis legantur, ab Ecclesia vel Pontificibus, ut reliquae ecclesiasticae leges, possunt immutari, relaxari aut etiam contrariis legibus vel moribus abrogari, sicut v. g. praeceptum Apostolorum de non comedendo sangvine animalium, quem hodie etiam Graeci comedunt. Vide Porubszky pag. 7.

<sup>2)</sup> Orthodoxa Confess. Eccl. Orient. Parte 1. qu. 4.; \*

vandum est, quod normae constitutivae Ecclesiae fundentur in dogmate, quodque eadem normae immutabiles sint quoad substantiam, attamen quoad expressionem, applicationem et evolutionem possunt in Ecclesia subjici, et reapse subjectae fuerunt, accidentalibus mutationibus quin minimum damnum inferatur infallibili et irreformabili veritati dogmaticae, cui innuntuntur.

### § 29. Sanctorum Patrum auctoritas.

Sanctos Patres ut Ecclesiae Doctores Ecclesia orientalis veneratur, proinde consona eorum, qua Interpretum legum Ecclesiae fundamentalium, et constitutivarum in sacra Scriptura comprehensarum, effata Ecclesia orientalis suscipit; imo, aliquorum sanctorum Patrum constitutiones inter canonicas adoptavit, et corpori Juris Ecclesiastici adjecit. Possunt ergo esse sancti Patres fontes Juris ecclesiastici vel qua testes relate ad principia fundamentalia, ad legislationem, ad consuetudines, vel qua auctores quarumdam normarum juris a potestate legislatrice admissarum.

### § 30. Libri Ecclesiae liturgici, euhologici et chorales.

Confessionem Ecclesiae exhibent Libri liturgici, ad celebrationem sacrae liturgiae seu sacrificii incruenti oblationem, euhologici, ad administrationem sa-

Gmina ac duplia Ecclesiae dogmata sunt; alia literis mandata, quae divinis sacrae scripturae libris comprehensa habentur, alia viva voce ab Apostolis tradita, atque haec ipsa sunt quae postmodum a conciliis, sanctisque Patribus plenius declarata sunt; binisque hisce fundamentis fides superstructa exstat.

cramentorum, et ceterarum functionum sacrarum, atque chorales, quibus Ecclesia in persolvendo cultu divino publico utitur. In his fides Ecclesiae etiam quoad propriam institutionem et constitutionem divinam deposita, ordo et ratio cultus divini persolvendi exhibita, atque Ecclesiae religiosa vita externa determinata exhibitetur; hi proinde libri per potestatem ecclesiasticam probati, fontem Juris ecclesiastici constituunt. Hic fons tanto majorem considerationem meretur, quod idem constantem omnium saeculorum fidem et observantiam ecclesiasticam exhibens, communemque totius Ecclesiae Christiano-Catholicae sensum exprimens, omnium ab hoc sensu deviantium placitorum, sive schismaticorum sive etiam haereticorum, validissimam refutationem constituat.

### § 31. Constitutiones Romanorum Pontificum.

Cum Ecclesia Orientalis Catholica cum Concilio Florentino semper crediderit et credit Romanum Pontificem esse supremum Ecclesiae Caput, cui Christus curam commisit pascendi suum gregem, fratres confirmandi, et sanciendi Canones, qui ejusdem Ecclesiae normas et regulas constituant, Ecclesia Catholica orientalis, non secus ac occidentalis, Constitutiones Romanorum Pontificum pro fonte Juris ecclesiastici habet. Sunt autem Constitutiones hae Pontificiae solennes literae, quibus Pontifices, tamquam totius Ecclesiae Rectores, quid tenendum et observandum sit, decernunt. Quas si edat Pontifex motu proprio, vocantur decreta; si ad consultationem vel relationem aliorum, decretales; si vero dirigat ad Episcopos totius orbis, vel alicujus regionis, encyclicae nominantur.

Nostro tempore autem nomen Decretalium praevalet. Suntque Decretales aliae quae legem constituunt pro universa Ecclesia, seu jus commune; aliae quae particulares Ecclesias respiciunt; denique quae pro singularibus casibus, in quibus principia et normae canonicae peculiaribus casibus aptantur, imprimis in Rescriptis Pontificum quae justitiae dicuntur, quibus jus dubium explicatur, quaestiones propositae solvuntur, ad alicujus preces Judicem delegat, etcet. quae, quantum Pontifex gerit personam Legislatoris, pro analogis casibus perinde jus commune constituunt, expediuntur. Emittit etiam Pontifex Rescripta Gratiae dicta, per quae favores largitur e. g. beneficium, privilegium, dispensationem concedit; quae tamen legem generalem non constituunt, et valent pro personis tantum et casibus pro quibus feruntur.

Etiam si autem Jus commune Ecclesiam orientalem non secus ac occidentalem obliget, attamen Constitutiones disciplinares Romanorum Pontificum sub conditionibus tantum Ecclesiam orientalem adtinent, quas Benedictus XIV. Constitutione sua „Allatae sunt“ § 44. determinat, cujus verba haec sunt: „Subditi quatuor Patriarcharum Orientis non ligantur novis Pontificiis Constitutionibus nisi in tribus casibus: 1) in materia dogmatum fidei; 2) si Papa explicite in suis Constitutionibus faciat mentionem, et disponat de praedictis: 3) si implicite in iisdem Constitutionibus de eis disponat, ut in casibus appellationum ad futurum concilium.“

### § 32. Canones Conciliorum.

Ecclesia orientalis non modo Canones Conciliorum oecumenicorum, sed etiam particularium Synodorum per universalem consensum acceptatorum, Codici suo ecclesiastico inscripsit; atque ob hanc ipsam communem acceptationem, Synodis particularibus eandem quam Conciliis oecumenicis tribuit auctoritatem. Orthodoxa Confessio Parte 1. qu. 72. hac de re inquit: Quidquid SS. Patres, in omnibus universalibus, atque particularibus orthodoxis Conciliis, quocunque tandem loco habitis statuerunt, id a Spiritu Sancto profectum esse credas oportet. — Quae quidem intelligi debent de conciliis oecumenicis rite celebratis, deque Synodis etiam particularibus, ubi tamen Catholicae Ecclesiae consensus, ac imprimis Sedis Apostolicae adprobatio accesserit. Prout Julius Pontifex ad Episcopos orientales Antioch. (apud Socrat. H. E. L. 2. C. 13 edit. Basil. 1570.) enunciat: „Cum Canon ecclesiasticus vetet, ne decreta absque sententia Episcopi Romani Ecclesiis sanciantur.“ Unde patet Canones disciplinares Conciliorum oecumenicorum, atque Synodorum particularium Codici Ecclesiae orientalis in scriptos eos tantum in Ecclesia orientali legem constituere posse, qui per Sanctam Sedem Apostolicam aut positive probati, aut saltem reprobati non sunt. Ex eo enim, quod plurimi Conciliis orientalibus, oecumenicis autem omnibus, legati sedis Apostolicae interfuerint, et Decreta Synodalia subscripserint, ipsius etiam Apostolicae Sedis assensus aut approbatio induci nequit, prout constat, pluribus talibus Canonibus approbationem a S. Sede Apostolica denegatam, imo

plures expresse rejectos esse. Ipse S. Augustinus rejecit, quod Apostolicae Sedis non sanxit auctoritas, cuius sanctio universam Ecclesiam obligat (Liber. 2. contra Crescon. C. 32.). Non accipio, inquit, quod de baptisandis haereticis et schismaticis b. Cyprianus sensit, quia hoc Ecclesia (sedes Apostolica) non accipit. Ideo Epistola S. Cypriani et Synodi ejus „de rebaptisandis omnibus haereticis“ Codici Ecclesiae orientalis inserta, sicut etiam Canon II. Trullanus quoad eandem Epistolam et Canones anteriores per S. Sedem Apostolicam reprobatos, et alii similes Canones ab eadem S. Sede reprobati, quoad Graeco-Catholicos nullius vigoris sunt. E contra vero Canones Conciliorum occidentalium, qua decisiones in causa fidei et morum, et quantum jus commune constituunt, etiam pro Graeco-Catholicis regulae sunt. Ipsi etiam non unitis Graecis (Nota 2. ad Canonem II. Trullanum in Pedalion) confitentibus: se quoque ea, quae congruunt Synodis occidentalium acceptare.

### § 33. Consuetudo.

Consuetudines dummodo fuerint rite ac legitime introductae, ad fontes juris ecclesiastici pertinent. Est autem consuetudo in scientia Juris: frequentia actuum alicujus communitatis in iisdem circumstantiis aequabilium \*), cum animo se obligandi, aut jure suo intendi, qua nota distingvitur a simplici usu vel observantia non animo obligandi introducta. Consuetudinis fundamentum est causa rationabilis, opinio nempe necessitatis aut utilitatis Ecclesiae, quae communatem Ecclesiasticam cogit cum voluntate superioris

\*) Porubszky § 9.

certos mores et observantias introducere, atque consequentes actus in iisdem circumstantiis ponere. Ex hinc oritur Jus consuetudinariū <sup>1)</sup>, alias non scriptum nuncupatum, eo quod non scriptis legibus, sed consensu praescriptis moribus nitatur. Differt a Traditione, lex enim traditionalis proficiscitur immediate a Legislatoris viva voce, lex autem consuetudinis ab actibus. Consuetudo Canonica est positiva, aut negativa, prout consistit in positione aut omissione actuum. Item universalis, particularis et specialis, prout in universa Ecclesia, vel in aliqua tantum Provincia ecclesiastica, vel denique in singulari loco obtinet; rationabilis porro et irrationabilis, bona, vel mala; praescripta, et non praescripta, a jure permissa, vel prohibita, reprobata, et abrogata. Porro consuetudo secundum, praeter, vel contra jus; prima est, si actus legi sint conformes; secunda, si actus nulla lege pracepti sint <sup>2)</sup>; tertia, dum lex scripta vel usu nunquam recipitur, vel jam recepta non servatur.

### § 34. Characteres legitimae consuetudinis.

Cum omnis lex ecclesiastica ex principio necessitatis aut utilitatis ad finem Ecclesiae derivanda sit, etiam consuetudo ut legis vigorem habere possit, ad finem Ecclesiae aut necessaria aut utilis esse debet: seu ut religioni conveniat, disciplinae ecclesiasticae congruat, et saluti proficia sit, hocque in casu con-

<sup>1)</sup> Nomocanon Photii Tit. I. Cap. III.: ut consuetudo ecclesiastica non scripta scrivetur ut lex.

<sup>2)</sup> Scholion ad Tit. I. Cap. III. Nom. Can. Photii: De quibus causis nulla scripta lex est, custodiri oportet mores et consuetudinem.

svetudo est rationabilis, salutaris, secus autem irrationalis et mala. Unde sequitur: 1) quod consuetudo legalis juri divino et naturali, ac principiis religionis Catholicae contraria esse non possit; ideo e.g. consuetudo aliquando imprimis apud orientalis Ritus Christianos observata, ut e capite adulterii Matrimonium quoad vinculum solvatur, enunciato dogmate Ecclesiae Catholicae de absoluta indissolubilitate matrimonii Christianorum rati et consummati qua illegalis abrogata est. Eadem ratione consuetudines superstitionem redolentes, aut bonis moribus seu christiana moralitati adversae corruqtela rectius sunt nuncupandae; ideoque hae consuetudines irrationalibes, quo spectant etiam eae, quae contra constitutionem Ecclesiae v. g. ut Presbyteri in Synodis dioecesanis voto decisivo gaudeant, aut Laici in negotia spiritualia influant, aut doceant, prout etiam quibus disciplina ecclesiastica in periculum adducitur, sicut est toleratio matrimoniorum Presbyterorum aut Clericorum post ordines maiores initorum, aut denique quoquomodo Ecclesiae noxae, legitimae consuetudines haud sunt. 2) Ex eodem principio, quod omnis lex ecclesiastica scripta aut necessaria aut utilis Ecclesiae sit, non est legitima consuetudo contra expressam legem (Schol. ad Tit. I. Cap. III. Nomo Canon Photii), „Fieri enim potest ut per desvetudinem jure aliquo non utamur, non autem ut contra legem utamur.“ Hoc imprimis tenendum est de Concilio Tridentino juxta Constitutionem Pii IV. In Principiis. Haec tamen regula non potest statui quoad leges non fundamentales, quibus contraria consuetudo omnino derogare potest. Fieri enim potest, ut mutatis temporibus atque adjunctis quod antea utile fuerat possit evadere

inutile, ideo quemadmodum lex posterior derogat priori, sic et consuetudo scriptae legi. — Porro ut consuetudo legitima sit, requiritur consensus et voluntas totius communis ecclesiasticae aut saltem majoris partis, ideo consuetudo particularis universaliter cedere debet. Praeterea, cum nulla lex absque sensu Legislatoris existere possit, consensus hic necessarius est etiam quoad legem consuetudinariam. Est autem consensus Legislatoris vel expressus, dum Legislator aperte declarat se consuetudinem approbare; vel tacitus, dum Legislator notae sibi consuetudini non contradicit. Unde sequitur, omnem consuetudinem legitimam notoriam esse debere, quae Legislatori innotescere possit. Sola autem dissimulatio non facit consensum, et ideo non omnis consuetudo cui Legislator non contradicit, lex est. Etenim S. Sedes Apostolica saepe consuetudines, quas propter tempora Ecclesiae infausta etiam ultra 40 annos dissimulaverat, mutatis temporum adjunctis illegitimas declaravit. Demum consuetudo ad quam adminimum duo actus in iisdem circumstantiis repetiti requiruntur, debet esse constans, seu quae diuturniori tempore absque interruptione duret. Canonistae 10 annorum durationem requirunt.

### § 35. Probatio Consuetudinis.

Consuetudo probatur si demonstretur continuus usus animo deobligandi introductus, cui Legislator non contradixit; cujus testes sunt imprimis Episcopi, item Acta Synodorum provincialium et dioecesanarum. Ad probandam autem consuetudinem contra jus, requiritur demonstratio, quod talis consuetudo in judicio

contradictorio admininus semel fuerit probata. Ad consuetudinem vero immemorialem requiritur ut testes sint admininus 54 annorum, et testificantur consuetudinem se scientibus admininus 40 annis fuisse obseruatam, quodve de anteriori ejus observantia a suis majoribus audierint. (Gloss. ad C. 1. de praescr. in 6. v. memoria.)

### § 36. Effectus Consuetudinis.

Generatim loquendo consuetudo legitime introducta non solum habet vim legis, sed neque ei derogari potest per legem posteriorem nisi expressa ejusdem fiat mentio (Cap. 1. de consv. in 6-to) cuius effectus est 1) Consuetudo ut lex actus contrarios facit nullos, 2) Consuetudo secundum jus, legem praeexistentem facit firmorem estque optima legum interpres (Cap. 8. de Consuet.). 3) Consuetudo praeter legem novum jus inducit. 4) Consuetudo contra jus, legem praeexistentem et quidem vel ex toto vel tantum in parte e. g. quoad adnexam poenam manente obligatione sub culpa, abrogare potest.

### § 37. De Abrogatione Consuetudinum.

Jus consuetudinaria abrogatur *a)* per legem generalem cum speciali derogatione: non obstante consuetudine contraria, vel non obstante quacunque consuetudine, vel non liceat vigore consuetudinis hanc legem infringere; *b)* per legem specialem contrarium; *c)* per improbationem consuetudinis, si Legislator dicat: oonsuetudinem hanc improbamus, cum haec consuetudo corruptela sit censenda; *d)* per expressam

abrogationem, quam potest facere etiam Episcopus quoad consuetudinem particularem; *e)* per consuetudinem contrariam; *f)* per desuetudinem.

### § 38. De Constitutionibus Principum.

Quaedam insuper civiles leges ex codicibus praesertim Theodosiano ac Justiniane eductae, in corpore Juris Canonici referuntur, non quia hujusmodi leges jure suo ad ecclesiasticam jurisprudentiam pertineant, quippe quae propria est solius Ecclesiae, sed quoniam vel a Conciliis, vel ab Ecclesiae Pastoribus sui juris corpore comprehensae sunt, omnibusque propositae ut legis loco habeantur.

### § 39. Historia Juris et Codicis Ecclesiae orientalis.

Primis Ecclesiae saeculis in defectu legum scriptarum traditiones apostolicae observabantur, quas Episcopi custodiebant, et juxta eas observantias disciplinares praescribebant. Quae ut in continuo usu retinerentur, sensim inter saeculum secundum et tertium in breves regulas redactae nomine canonum Apostolorum insignitae sunt. Numerus eorum initio 50., quos etiam Dionysius exiguis saeculo V. in suum codicem recepit, postmodum autem evaserunt 85, qui in codice Ecclesiae orientalis primi occurrunt, atque etiam in codice Ecclesiae occidentalis ad calcem secundae partis Decreti Gratiani prostant. Non habebant tamen universalem auctoritatem; in occidente enim primum saeculo V. aliqua auctoritate pollere coepерunt, imo inter Apocrypha scripta relate ad nomen Apostolorum quod praeseferebant computabantur\*).

\* ) C. 3. §. 64. D. XV. (Conc. Rom. a 494.) C. 1. D. XVI. Isid.

Alia Collectio erat: „Octo libri Constitutionum Apostolicarum“, S. Clementi Romano false adscriptae, qui continent multa disciplinae saeculi V., ab haereticis tamen interpolati, per Concilium Trullanum ideo rejecti, nec aliqua auctoritas iis ab Ecclesia tribuitur.

#### § 40. Canones Conciliorum.

Cum vita ecclesiastica quantum a persecutionibus Christianorum respirare licuit se evolveret, ad hocque Synodi partim provinciales, dein vero etiam oecumenicae celebrarentur, harum decreta pro universa Ecclesia, priorum vero pro Ecclesiis tantum, quarum Episcopi iis Synodis interfuerunt, valebant; seriusque in eandem collectionem Canonum recepta, ex iis Codificatio legum ecclesiasticarum initium coepit, certumque est, in Concilio Chalcedonensi allatum fuisse codicem Canonum, sed non est facile judicatu quot et quos Canones codex ille complectetur. Generatim convenient eruditi, quod omnium Canonum in dicto codice relatorum series quaedam confecta fuerit, notatis singulis canonibus per numerum progredientem, incipiendo a viginti Canonibus Concilii Nicaeni primi; hinc sequebantur viginti quinque Canones Concilii Ancyrani, et quatuordecim Neocaesarienses, deinde viginti Concilii Gangrenensis, et viginti quinque Antiocheni; nec non probabiliter etiam Canones Concilii Constantinopolitani, quemadmodum dignoscitur ex querimoniis legatorum Apostolicae sedis in praedicto Concilio Chalcedonensi \*). Hoc tamen non obstante dici nequit

\*) Vide Labbe Tom. IV. Cōcīl. Col. 14. 27. — Vanespen Diss. IV. de pristino Codice Graecorum. Devoti Jus Canonicum Tom. I. f. 341. Christianus Lupus etcet.

tempore Concilii Chalcedonensis exstitisse collectionem Canonum ab universalis Ecclesia approbatam, cum in ipso Concilio Chalcedonensi diversae collectiones Canonum productae fuerint. Christophorus quidem Justellus collectis antiquissimis Canonibus una cum Canonibus Concilii Chalcedonensis proprium efformavit codicem cui titulus tributus est „Codex Canonum Ecclesiae universae.“ Sed hic titulus arbitrarius imo falsus est, si considererur Ecclesiam occidentalem et imprimis Romanam incoepisse admittere aliquot Canones Ancyranos, Neocaesarienses etcet. post saeculum V.; et Canones Coacili Constantiopolitani I. approbati non fuerunt ne sub finem quidem saeculi VI., quemadmodum constat ex Gregorio Magno (lib. 7 ep. 34. ad Eccl. Alexandr.). Ipse etiam Dionysius Exiguus ad finem saeculi V. proprium construxit codicem, translato ex Graeco antiquo codice Canonum, additis in super quinquaginta Canonibus dictis Apostolicis, quot in vetus codice erant, praeterea Canonibus Chalcedonensibus, viginti et unum Concilii Sardicensis, ac denique centum triginta et octo Canonibus Africanis ex latino textu descriptis; deinde vero evulgavit litteras decretales summorum Pontificum a Syricio usque ad Anastasium, unde divergentia variorum codicum conspicua est ad opinionem de codice Canonum Ecclesiae universae refutandam.

#### § 41. Leges Civiles.

Etiam Imperatores Christiani circa res ecclesiasticas Edicta ediderunt, quae in codicem ecclesiasticum relata sunt. Memorabilis est collectio Edictorum Theodosii II. (438.) quae Edicta pro Occidente per Valen-

tinianum Imperatorem confirmata sunt<sup>1)</sup>). Adeoque prioribus Ecclesiae saeculis Jus ecclesiasticum constituebant Canones dicti Apostolorum, item Conciliorum, decretales vel Epistolae Pontificum, et Edicta Imperatorum, quantum per Ecclesiam acceptata sunt.

#### § 42. Continuatio Historiae.

A quarto usque octavum Concilium Oecumenicum.

Circa finem saeculi V. collectio Canonum Ecclesiae orientalis complectebatur Canones Apostolorum 85, item Conciliorum Nicaeni I., Ancyran, Neocaesariensis, Sardicensis, Gangrensis, Antiocheni, Laodicieni, Constantinopolitani I., Ephesini, et Chalcedonensis, quibus Justinianus Imperator civilem quoque auctoritatem tribuit<sup>2)</sup>). Quae Canonum collectio in certum quemdam systematicum ordinem redigi coepit, et quidem primo per Joannem Presbyterum Antiochenum dein Archi-Episcopum Constantinopolitanum, qui etiam sexaginta octo Canones sancti Basili adjecit, dividens totum codicem in 50. Titulos<sup>3)</sup>). Accesserunt dein Canones poenitentiales Joannis Jejunatoris Archi-Episcopi Constantinopolitani<sup>4)</sup>). Omnes tamen hae collectiones fuerunt privatae, donec Concilium Trullanum Canone suo II. determinasset complexum codicis ecclesiastici, cui posterius accesserunt ipsius Synodi Trul-

<sup>1)</sup> Valter § 65.

<sup>2)</sup> C. 45. C. de Episc. (1. 3.) Nov. 6. C. 1. § 8. Nov. 131. C. 1.

<sup>3)</sup> Prostat apud Justellum Tom. II. a pag. 499.

<sup>4)</sup> Apud Morin. Comment. histor. de disciplina in administratione Sacram. poenit. Paris 1651. et in Pedalion.

Ianae Canones 102. et 22. Concilii Nicaeni II. (787.) quod pariter Canones omnes per Concilium Trullanum acceptatos una cum Canonibus Trullanis acceptavit.

#### § 43. Leges Civiles.

Codex Theodosianus per Justinianum Imperatorem reformatus (534.), qui etiam peculiares constitutiones quoad res ecclesiasticas edidit, et quidem Novellas 168. (apud Leunclav Juris Graeco Rom. Tom II.).

Etiam Imperatores sequentes emiserunt edicta circa res ecclesiasticas. Heraclius (641.), Leo Isaurus (741.), Constantinus V. (775.), Nicephorus (811.), Theophilus (842.) ex quibus omnibus edictis Imperatorum ad finem saeculi IX. facta est collectio sub nomine „Basilicalia.“

— Hae dein constitutiones civiles cum Canonibus in Nomocanonem conflatae sunt, prout jam Joannis Scholastici § 42. supra adductum opus exhibit, ciatatis canonibus subjungens correspondentes leges civiles. Photius autem Constantinopolitanus Patriarcha, assumptis etiam subsequis Conciliorum, ac ante se et sub se annis nempe 861- et 879-o Constantinopoli celebratarum Synodorum Canonibus, non item et VIII. Concilii Oecumenici (869.) in quo ipse depositus fuerat, et ideo etiam illud in Synodo 879-o proscripterat; praeterea assumptis Constitutionibus Imperatorum usque ad sua tempora editis, celeberrimum construxit Nomocanonem, quem graeci-non-uniti inter fontes Juris ecclesiastici recensent. Nomocanon Photii dividitur in 14. Titulos, singulus Titulus in Capita\*).

\* ) Vide apud Instell. Tom. II. a pag. 813.

#### § 44. Historia Juris post Photium.

Postquam sub Imperatore Leone, Photius altera vice depositus fuisset, Nomocanon ejus non statim plenam nactum est auctoritatem, sed solum saeculo 10-mo coepit respectari penes usum tamen etiam Nomocanonis Joannis Scholastici, atque legum Civilium circa res ecclesiasticas editarum, quarum collectio „Basilicalia“ cum codice Justiniani in judiciis adhibebatur: Leges tamen Justiniani serius Basilicibus cesserunt; quibus accesserunt compendia Juris Civilis ab Imperatoribus Basilio, et Leone publicata, quae etiam in codicem Canonicum assumpta sunt. Accepit autem codex Ecclesiae orientalis ulteriora incrementa ex Synodalibus decretis Patriarcharum Constantinopolitanorum, sicut etiam e constitutionibus Imperatorum Leonis Philosophi (911.), Constantini Porphyrogenitae (961.), Alexii Comneni (1118.), Joannis Comneni (1143.), Isaci Angeli (1185—90.).

#### § 45. Interpretes Codicis Ecclesiae orientalis.

Codicem Canonum Ecclesiae orientalis saeculo XII. interpraetandum susceperunt e Graecis, Theodorus Balsamon, qui floruit temporibus Michaelis Comneni Imperatoris ad finem saeculi XII. qua Nomofilax et Chartofilax Ecclesiae Constantinopolitanae, postmodum capta per Venetos 1203. Constantinopoli, Patriarchalem secundem Antiochenam consecutus; qui adhuc Diaconus ex mandato Imperatoris scripsit commentarium in Nomocanonem Photii, omnes Canones tam Apostolicos, quam Synodicos, et S. Patrum. Alter Interpres

Canonum extitit Joannes Zonaras, Balsamone tempore prior, qui floruit ad initium saeculi XII. Anno nempe 1118. sub Alexio Comneno Imperatore, Monachus in Monasterio S. Gliceriae. Tertius Interpres Alexius Aristenus, circa annum 1166. tum Diaconus Ecclesiae Constantinopolitanae, construxit hic simul Synopsim Canonum. Horum trium celebratissimorum virorum commentaria exhibit Guilielmus Beveregius, Ecclesiae Anglicanae Presbyter, qui saeculo XVII. edidit codicem Ecclesiae orientalis graece et latine 1672-o sub Titulo: Pandectae Canonum SS. Apostolorum, et Conciliorum ab Ecclesia Graeca receptorum, cum Scholiis supra nominatorum Interpretum; addidit etiam Aristeni Synopsim Epistolarum Canonicarum, atque Matthaei Blastaris Syntagma Alphabeticum, ac proprias in obscuriores Canones adnotationes.

Saeculo XIV-to scripsit Constantinus Harmenopoulos, Epitome Juris ecclesiastici in 6 Sectionibus, (apud Leunclav. Jus Graeco Rom. Tom. I.) libr. 1. Plura apud Biener, de Collectionibus Canonum Ecclesiae Graecae.

#### § 46. De Codice Ecclesiae Russicae.

Ecclesia Russica, prima jam aetate sua, cum ritu Ecclesiae Constantinopolitanae codicem quoque Photii adoptavit, et quidem lingua originali, cum primi Russorum. Sacerdotes et Episcopi fuerint plerumque nati Graeci; seculo tamen undecimo prostabat etiam Nomocanon aliquod lingua russica \*), donec a seculo 13-tio plures jam collectiones Canonum et legum ecclesiasticarum lingua russica conscriptae memorantur, qualis est illa, quam anno 1274-to in Synodo Vladiv-

\*) Biener Collect. Can. Eccles. Graec. p. 51. 52.

mirensi publicavit Cyrillus II. Metropolita Chioviensis, quam acceperat a Sviatslao Principe Bulgarorum<sup>1)</sup>. Alia versio Nomocanonis Graeci procurata esse dicitur a Cypriano Metropolita Moskowiensi 1406-to<sup>2)</sup>. Ac etiam Syntagma Blastaris in slavonicam lingvam versum est. His accesserunt etiam constitutiones Principum Russiae, imprimis Joannis III. Wassiljevitsch de anno 1498., et Joannis IV. Wassiljevitsch de anno 1550-mo; atque etiam constitutiones Metropolitarum Russiae partim literis pastoralibus, partim in Synodis editae<sup>3)</sup>. Hodie in Russia imprimis tres collectiones sunt in usu, nempe: Manuale Nomocanonis, quod continet extractum e Canonibus Conciliorum et SS. Patrum ad usum Cleri<sup>4)</sup>; dein quam procuravit Patriarcha Russorum Nikon, Moskoviae 1649- et 1650-mo typis procura, et 1653. omnibus Ecclesiis transmissa sub titulo „Kormczaia Kniga“, seu Liber Gubernatoris Navigis, seu Ecclesiae; compositus est hic Codex ex antiquioribus collectionibus Graecis, in specie adhibitis pluribus manuscriptis ex classe Aristeni et Zonarae. Dividitur in 70 Capitula, ex quibus 41-num Capitula primam partem Codicis constituunt, nempe Canones Apostolorum, Conciliorum, et Epistolas canonicas complectens; cetera Capitula spectant ad partem secundam Codicis, complectentem basilicalia, seu Constitutiones Imperatorum Graecorum, et plures ecclesiasticas dissertationes. Praemittuntur autem Parti 1-ae plures notitiae historicae Ecclesiam Russorum et

<sup>1)</sup> Biener Collect. Can. Eccles. Graec. p. 53—58.

<sup>2)</sup> Ibidem p. 58. et Strahl Gelehrtes Russland. p. 73.

<sup>3)</sup> Strahl Geschichte der Russischen Kirche 1. Th. S. 260.

<sup>4)</sup> Prodiit etiam Leopoli 1646. (Vide Walter Kirchenrecht, editio 12. p. 148. et sequent.)

Graecorum concernentes, et Nomocanon Photii in XIV. Titulos divisum, atque ad calcem operis Donatio Constantini Magni Silvestro Pontifici facta. Ultima denique collectio similis priori prodiit 1838<sup>1)</sup>. Insuper auctoritate in Russia pollet Syntagma, quod Athenis 1852-do procusum est. Magnae autem auctoritatis est Regulamentum Imperatoris Petri Magni de Anno 1721., quo sublatto Patriarchatu, Synodus dirigens introducta est. Denique huc spectat etiam Pars II. Codicis civilis quod Jus matrimoniale complectitur<sup>2)</sup>.

#### § 47. Codex Ecclesiae Serbicae, et Bulgaricae.

Serbi, qui in superiori Moesia inter 630-mum et 640-mum proprium Regnum fundarunt, ac mox etiam fidem in Christum amplexi, sicut Russi habebant suas collectiones Canonum lingva propria, a Russis quoque adoptata<sup>3)</sup>. Tardius prodivit Syntagma Blastaris cum Serbica Orthographia; ex quo etiam extractus confectus est sub nomine Zakonnik, cui accessit compendium Codicis Justiniani et constitutiones Regis Duschani, de anno 1349-no. Bulgari autem qui ab anno 680. in Moesia inferiori sedem fixerunt circa annum 865. post suam ad Christum conversionem, versionem collectionis Joannis Scholastici in suam lingvam obtinuerunt, tardius 1018. Imperio Byzantino incorporati, alias quoque Graecorum collectiones obtinuerunt.

<sup>1)</sup> Walter, p. 151. Theiner Staatskirche Russlands p. 303—305.

<sup>2)</sup> Biener Coll. Eccl. Graec. p. 6—7.

<sup>3)</sup> Kopitar Wiener Jahrbücher, Band XXIII. C. 229.

### § 48. Codex Valachorum, et Moldaverum.

Valachi inquit Walter<sup>\*)</sup> qui seculo XIII. proprium ac independens regnum formarunt, anno 1652. Canonum collectionem in lingua vernacula conscriptam, ac in Tergoviste typis editam obtinuerunt. Constat haec collectio duabus Partibus. Prima 417 Capitula complectens Manuelis Malaxi Nomocanonem (anno 1561. conscriptam et ex Photii, Balsamonis, Blastaris, et Zonarae operibus excerptum) ex Graeco in vernaculam lingvam translatum exhibit. Altera Pars, quae Nomocanon inscribitur, Canones Apostolorum, Conciliorum, et SS. Patrum continet, ex recensione quam Aristenus in Synopsi Scholiis adornavit. Titulus Codicis „Directorium Legis, vulgo Pravila.“

### § 49. Complexus Codicis Pravila:

#### Pars I.

##### Directorium Legis.

Glava, seu Caput 1. Judex ne sit primae informationis, nec sine probationibus cuiquam credat.

C. 2. Ut Judex administret justitiam, et non sinat se muneribus, aut quacunque affectione ad partium studium pertrahi.

C. 3. Quid lex, et transgressio legis? et quod Judex judicare debeat secundum legem.

C. 4. Dum non est lex scripta, respectanda est legitima consuetudo, quae vim legis habet.

<sup>\*)</sup> Kirchenrecht, edit XII. p. 152. § 83.

C. 5. Quod Patriarcha sit imago Christi, et quod ad eum spectet consecrare Metropolitas.

C. 6. Patriarcham Constantinopolitanum consecrat Metropolita Heracleensis.

C. 7. De Episcopis et Presbyteris ditionis patriarchalis et locorum exemptorum, si non commemo- rent in sacra Liturgia et aliis functionibus sacris juxta usum nomen Patriarchae, excepto si Patriarcha haereticus esset, a functionibus ordinis sui prohibiti sint.

C. 8. De non admittendo ad Episcopatum vel alium gradum ordinis, contra quem accusatio insinuata est, usque ad inquisitionem et purgationem accusati.

C. 9. De Simoniaca ordinatione, item interventu auctoritatis Principum aut Magistratum procurata, atque sacra communione pro pecunia data, ut delinquentes, atque etiam hoc modo ordinati depositi sint et excommunicati.

C. 10. De Clericis, qui perjurium, vel furtum, vel fornicationem commiserunt, ut a sacrorum celebra- tione in perpetuum prohibeantur, sed non simul excommunicentur.

C. 11. Ut fiat consecratio Clerici uxorati in Epi- scopum cum consensu uxoris, quae si consentiat, fiat Monialis.

C. 12. Quod Episcopum concernat tam spiritua- lium quam et temporalium Ecclesiae administratio; non licet tamen ei quidpiam abalienare, aut cognatis donare, quibus tantum ut pauperibus ex episcopalibus redditibus succurrat.

C. 13. Ne Episcopus ordinationes faciat extra dio- cesis suam, neque alienum Clericum ordinet.

C. 14. Episcopus ne absit ob privata negotia a

cathedra sua ultra tres septimanas, excepta necessitate ob curam valetudinis; secus sex mensibus absens a cathedra amoveatur, et loco ejus constituatur alter.

C. 15. Sacerdos uxorem non habens non habitet cum muliere, nisi cum proxima cognata, aut alia, in quam nulla cadit suspicio.

C. 16. In causa privata quilibet potest Episcopum in item vocare; quoad crimina vero, aut abusum officii, non nisi Christianus probus Episcopum accusare potest.

C. 17. Contra Episcopum, aut Presbyterum, non nisi irreprehensibiles testes admitti possunt.

C. 18. Ad condemnationem Episcopi requiritur judicium duodecim Episcoporum; ad condemnationem autem Presbyteri sex Episcoporum cum septimo proprio, et ad condemnationem Diaconi duorum Episcoporum cum tertio proprio Episcopo judicium exigitur;

C. 19. Episcopus coram Synodo accusatus, si post trinam ad Synodum evocationem non compareat, deponatur.

C. 20. Lite pendente Episcopus retinet sedem suam, et Clerus cum populo ei obedire tenetur.

C. 21. Qui contra Episcopum unum non probaverit, ei nec quoad reliqua credatur.

C. 22. Ad testimonium contra Episcopum, vel Presbyterum, haeretici et infideles ne admittantur, sed tantum Christiani duo vel tres, in processu autem quinque non inimici.

C. 23. Accusator, testes domesticos, aut cognatos suos producere non potest.

C. 24. Religiosi testes esse prohibentur, nec acceptatur testimonium eorum, utpote qui a mundo segregati sunt.

C. 25. Clericus falsum ferens testimonium deponatur.

C. 26. In causis contra Presbyteros, vel Diaconos, relate ad accusatores et testes, eadem observentur, quae in causis contra Episcopos.

C. 27. Episcopus, vel Presbyter, ab officio suspensus, sacram liturgiam celebrare praesummens excommunicetur.

C. 28. A sententia Patriarchae nulla datur appellata.

C. 29. Episcopus depositus potest se via novi purgare coram Synodo.

C. 30. Episcopus depositus, dein insons inventus sedi restituatur.

C. 31. Ut translatio Metropolitarum ex una sede in aliam cum consensu Patriarchae, Episcoporum autem cum consensu Metropolitae instituatur.

C. 32. Episcopi et Clerici, qui Metropolitam, excepto si haereticus sit, non commemorant in sacris, ab officio suspendantur, pertinaces autem deponantur. Si autem Presbyter deliquerit, oportet eum per Episcopum puniri, qui si e fragilitate, aut inattentione, vel ex insidiis satanae delinquisset, tunc non est multum investigandum de delicto ejus, et obtineat exiguum veniam, si vero ex negligentia deliquit, corrigatur per suum Episcopum.

C. 33. Anathema ne pronuncietur in Christianos, praeterquam in Apostatas, et Monachos statum suum deserentes; si autem resipiscant, reversi recipiantur.

C. 34. De iis, qui juste, vel injuste excommunicantur ab Episcopo, quod possint appellare ad Metropolitam et Patriarcham, ordine juris servato.

C. 35. Episcopus, qui Presbyterum ab officio su-

spenderit, vel excommunicaverit Laicum pro lucro, vel insontem injuste puniverit, eandem ipse recipiat poenam.

C. 36. Qui cum excommunicatis communicant, ipsi quoque excommunicati sint.

C. 37. De indiciis in corpore hominis mortui conspicuis; quae indicant eundem cum maledictione vel anathemate obiisse.

C. 38. Presbyteri neminem excommunicent sine consensu Episcopi.

C. 39. Dissolutio membrorum post mortem ejus, qui excommunicatus erat ab Episcopo, signum est aeternae damnationis ejus. Cujus membra autem soluta non sunt, et si post mortem absolverit eum Episcopus ab excommunicatione, quam vivus incurrerat, illico liberatur e potestate satanae anima ejus, et obtinet vitam aeternam, lumen sine vesperis, societatem justorum, et gaudium ineffabile.

C. 40. De eo, cuius cadaver in putredinem non abit etiamsi absolutio ei data sit, tenendum est eum restitutione teneri, ob quod absolutio inefficax est.

C. 41. Qui ab Episcopo sive juste, sive injuste a sacrorum celebratione prohibitus, tamen sacrum celebrare praesumpserit, depositus sit, etiamsi appallasset; cum non expectaverit superioris fori sententiam.

C. 42. De Clericis, vel Monachis contra Episcopum conspirantibus deponendis.

C. 43. Lex Civilis de complicibus delinquentium.

C. 44. De poena eorum qui persuadent perpetrare delictum.

C. 45. De indiciis facti proprii ab alio haud consulti.

C. 46. De poena eorum, qui adjuvant delinquentem

C. 47. Qui Episcopo maledixerit Clericus, depo-

natur; Laicus vero Episcopo, Presbytero, vel Diacono maledicens, excommunicetur. Qui autem percutserit Clericum, tribus annis poenitentiam agat, juxta legem autem civilem manus ei amputetur.

C. 48. De iis, qui se opponunt officialibus publicis, qualiter puniendis?

C. 49. De iis, qui offendunt legatos Dominorum.

C. 50. De iis, qui offendunt optimates.

C. 51. Episcopus propter suam dignitatem cum Presbyteris et Diaconis sacra faciat, aut saltem cum uno Presbytero et Diacono, imprimis dum ordinat; cum sine Presbyteris et Diaconis non liceat Episcopo ordinare Presbyterum et Diacoum.

C. 52. De ornamentis sacris Episcoporum, quid indicent?

C. 53. Quid indicat Mantia, quid rivuli, corona seu tonsura capitis? quid lumen? quid item tonsura sacerdotum? (hinc patet tonsuram gestare debere non tantum Latinos verum etiam Graecos.)

C. 54. Quomodo exprimatur nomen Jesu in manu Episcopi benedicentis, et quod Episcopus utraque manu benedicens reprezentet Christum benedicentem Apostolis, dum ascendit in coelum.

C. 55. Episcopus ad Monasterium libere secedens et obedientiam monasticam vovens, Episcopali officio restitui nequit, sacra more Presbyterorum peragit. Si autem coactus, vel ex timore secessisset, officio suo Episcopali restituitur; quod enim per coactionem fit, non consideratur.

C. 56. Quod si de Episcopo, vel Presbytero mala fama vulgetur, non ideo recusent fideles s. Eucharistiam ab iis percipere, donec Synodus rem examinaverit et peccatorem deposuerit. Deus enim etiam per

ministerium peccatorum mysteria operatur, et Spiritus Sanctus sanctificat dona proposita in altari, et panis fit corpus Christi, et vinum sanguis Domini juxta verba Salvatoris; sumite et edite, hoc est enim corpus meum, et bibite ex eo omnes, quoniam hic est sanguis meus novi Testamenti, additque, ut honorentur sacerdotes propter characterem et ordinis eorum sanctimoniam, etiamsi vitiosi essent.

C. 57. Episcopus de patrimonialibus atque ante Episcopatum acquisitis libere disponit; quae autem in episcopatu acquisivit, Ecclesiae et pauperum sunt; et quae post mortem ejus remanent, oeconomus recipiat successori fine dispensationis tradenda.

C. 58. De aetate ordinandorum: Episcopi 50 annorum, Presbyteri 30, Diaconi 25, Subdiaconi 20, Lectoris 18.

C. 59. Ornatus sacerdotis sit rubri coloris, qui designat cruentum Christi sacrificium.

C. 60. Concelebrantes Presbyteri etiam communicant.

C. 61. Qui ordinari volunt coelibes, prius interrogentur num habeant donum continentiae, et sic ordinentur; secus prius ducant virginem honestam, et sic promoveantur in Lectores, Subdiaconos, Diaconos, et Presbyteros.

C. 62. Presbyter non reconciliatus adversario suo celebrans, 40 diebus prohibitus sit a sacris; qui autem vomuerit die qua celebravit propter praecedentem ebrietatem, pariter 40 diebus celebrare sacrum prohibetur, et qui altero die vomuerit non celebrans, 20 diebus.

C. 63. Sacerdos celebraturus ne osculetur mortuum; et post sacram celebratum ne osculetur sacras imagines

C. 64. Sacerdos, qui celebraverit s. liturgiam sine antimensio (corporali quod reconditas habet martyrum reliquias) 206 inclinationes (metanias) faciat; qui autem celebraverit in loco non benedicto sine antimensio, sacerdotio privetur. Et qui non habuerit curam Ecclesiae suae ut munda sit, sacerdotio privetur; et si ejus incuria aut inattentione quidpiam in Ecclesia combustum fuerit, uno anno a sacris prohibitus sit.

C. 65. Sacerdos venator aut auceps si neglexerit servitium sacrum, tribus mensibus suspensus sit a sacris; praestigiator autem, et infamator alterius, si non resipuerit, deponatur.

C. 66. Sacerdos non recitans horas canonicas et celebrans peccat, si suppleverit, remittitur peccatum. Extremam unctionem autem unus Presbyter ne admistret, sed septem, vel administrus tres.

C. 67. Sacerdotis absque heredibus prolibus defuncti substantia trifariam dividatur, atque una pars cedat in refrigerium animae ejus seu pro sacris liturgiis et eleemosynis, altera pars cedat uxori si nubere nollet, tertia vero Ecclesiae cui servivit, vel Ecclesiae Cathedrali Episcopali, aut Metropolitanae, si spectet ad dioecesim Metropolitanam.

C. 68. Sacerdotes et Laici non possunt judicare suum Episcopum, ipsi autem ab Episcopo judicentur. Nec Diaconus nec fideles possunt judicare Sacerdotem.

C. 69. Presbyter, vel Diaconus non commemorans Episcopum in sacris, eo, quod sciat Episcopum vitiosum esse, usque dum causa Episcopi cognosceretur a Synodo, Sacerdotio privetur.

C. 70. Episcopi sunt successores Apostolorum, habentes potestatem ligandi et solvendi, Presbyteri autem 70 discipulorum.

C. 71. Ne Sacerdos, vel Monachus curis, et occupationibus secularibus se implicent, nec propter quae-  
stum officium suum negligant, secus non resipiscentes deponantur.

C. 72. Omnes Sacerdotes obligantur die et nocte septem laudes, seu pensum Canonicum absolvere. Sunt autem septem laudes:

1) Officium mediae noctis, in memoriam resurrectionis et secundi adventus Domini.

2) Matutinum cum hora prima, in gratiarum actionem, quod post tenebras illuxerit lux Evangelii.

3) Hora tertia, qua Spiritus Sanctus descendit, super Apostolos, qui doctrina sua illuminarunt totum mundum.

4) Hora sexta, qua Christus crucifixus delevit peccatum Adae factum hora sexta.

5) Hora nona, qua Christus mortuus vicit mortem.

6) Vesperae, quoniam ad vesperam inclinante die Christus incarnatus est de Spiritu Sancto.

7) Postvespertinum Officium (completorium) ut nocte vigilemus cum Christo, et requiescamus in spe futurae diei.

Officium autem principale est sacra liturgia, quam si quis sine causa sufficienti semel neglexerit celebrare, tribus mensibus a sacris prohibitus sit (supra C. 65.)

C. 73. Laicum, qui ab uxorato Sacerdote Sacram communionem acceptare recusat, anathemate feriunt SS. Patres.

C. 74. Sacerdos, quem pudet sacram communionem uxori suae porrigeret, et tradiderit Eucharistiam alteri, ut eam communicet, deponatur.

C. 75. Lector secundam ducens uxorem maneat in suo gradu ordinis, ad altiorem non promovendus.

Sacerdos secundo ducens, deponitur, sed non excommunicatur. Bigamia impedimentum Ordinis. (Confer. inferius Caput 82, et Cap. 124.)

C. 76. Non licet ordinandis ducere nisi virginem et honestam; secus ducens ab ordinibus prohibetur.

C. 77. Si irregularitas ordinati patefiat, ordinatus deponitur.

C. 78. Baptisatus gentilis, si post baptismum irregularitatem non incurrit, ordinatur.

C. 79. Sacerdos sponte confessus delictum ante ordinem perpetratum, sacrificium ne offerat.

C. 80. Diaconus fornicatus amovetur a diaconatu, et servit ut Lector.

C. 81. Mulieri lapsae quae peperit, contra Sacerdotem confitenti fides ne adhibeatur, nisi sufficienes et juridicas asserti probationes praestet.

C. 82. Clericus, qui ex ignorantia matrimonii prohibito ante ordines implicitus est, et resciens abstinuit ab uxore, a sacris quidem perpetuo abstineat, honorem tamen clericalem retineat: si autem resciens se prohibito matrimonio implicitum esse, cum prohibita congressus est, deponatur et excommunicetur. Laicus autem in prohibito matrimonio constitutus ad Clerum ne promoveatur.

C. 83. Qui celebrat cum suspenso vel excommunicato, ipse etiam suspensus sit vel excommunicatus.

C. 84. Sacerdos adulterae uxori convivere prohibetur; et si post adulterium sciens ei convixit, deponatur. Laicus autem, cuius uxor adultera est, non potest fieri Clericus; adulterium tamen quinque testimoni testimonio comprobatum sit. Quod si vero uxori Sacerdotis vis illata est, a Sacerdotio non amovetur et uxori convivere permittitur.

C. 85. Episcopus ne recipiat alienum Clericum sine literis commendatitiis, vel dimissorialibus.

C. 86. Clerici usurarii; si non resipiscant, depo-  
nantur.

C. 87. Leges Civiles de fabricatoribus falsae monetae.

C. 88. Qui retinent, vel circulant pecunias falsas.

C. 89. Qui inveniunt thesaurum.

C. 90. Ut Clerici vadimonium assumentes pro-  
hibeantur a sacris, excepto, si ad redemptionem ca-  
ptivorum.

C. 91. Prohibetur Clericis popinam adire praeter  
necessitatem in itinere, sicut etiam popinam servare,  
non autem in arendam dare.

C. 92. A demone obsessi ne fiant Clerici.

C. 93. Non tantum Clericorum filii, sed aliorum  
etiam si digni sint, recipientur in Clerum. Sola illegi-  
timitas natalium non prohibet ab Ordinibus.

C. 94. Non corporis sed animae vulnus prohibet  
a Clericatu, dummodo defectus corporalis non talis  
sit, ut incapax sit ad Clericales functiones absolven-  
das; ideo monoculus cum oculo canonico et claudus  
potest fieri Clericus.

C. 95. Sacerdos, qui illegales nuptias, aut prae-  
maturas ante 14-tum annum aetatis pro viro, et 12-mum  
pro faemina scienter benedixit, deponatur; si autem  
inscius id fecit, pro arbitrio Episcopi puniatur.

C. 96. Sacerdos balneum sumens prohibetur eo  
die celebrare, et post sacram balneare; similiter Lai-  
cūs communicans prohibetur venae sectionem facere,  
excepto discrimine vitae.

C. 97. Sacerdos habens fluxūm sangvinis e den-  
tibus, prohibetur celebrare.

C. 98. Sacerdos nocturnam pollutionem passus,  
nisi proveniat ab insidiis satanae, non celebret.

C. 99. Sacérdos celebraturus abstineat ab uxore.

C. 100. Ne Clerici uxores suas pietatis praetextu  
abigant.

C. 101. Si conjux conjugem deseruerit ob abomi-  
nationem nuptiarum, anathemati subjiciatur.

C. 102. Mulier sine consensu mariti continen-  
tiam vovens et debitum non praestans, peccato incon-  
tinentiae mariti gravatur; maritus autem ab imputa-  
tione propter incontinentiam immunis est. (hoe tamen  
tenendum non est).

C. 103. Causas clericorum et monachorum omnes  
Episcopus judicet, et nonnisi Episcopo admittente  
judicia secularia adeant, secus per Episcopum canoni-  
cae poenae subjiciantur.

C. 104. Clerici lusores si non desistant, deponantur.

C. 105. Quicunque Presbyter alteri dixerit ex ira,  
ut fiat paganus, longiori tempore prohibeatur a sa-  
cris; si autem quis Presbyter blasphemaverit Deum,  
uno anno privetur officio, et jejunio castigetur. Si  
vero altera quoque vice id commiserit, in perpetuum  
deponatur.

C. 106. Leges civiles de injuriatoribus, calumnia-  
toribus et blasphematoribus.

C. 107. Quando sunt blasphemiae parvae, et  
quando magnae?

C. 108. Qui de honestatoria proferunt sed vera,  
non puniuntur; qui autem probare non possunt, se-  
vere puniantur.

C. 109. De actoratu competente ob calumniam.

C. 110. De eo, si quis alteri dixerit mentiris.

C. 111. De remissione blasphemiae.

C. 112. Qui calumniant Principes, aut praeposi-  
tos, ac viros ecclesiasticos.

C. 113. De infamacione per scripta.

C. 114. Qui in persecutione se paganos simularunt, etiamsi poenitentiam egerint, in Clerum tamen ne suscipiantur.

C. 115. Baptisati et ordinati ab haereticis rebaptisentur et reordinetur. Qui autem ordinati sunt ab Episcopo deposito, pro laicis habeantur.

C. 116. Nemini licet Ecclesiam aut Monasterium aedificare sine consensu Episcopi.

C. 117. Quae Deo donata sunt, puta Monasterio, vel Ecclesiae, ab ea recipi vel ab alienari nequeunt.

C. 118. Probandi sunt qui statum monachalem amplecti volunt annis tribus; si quis autem voluerit in agone professionem monachalem elicere, admittatur sine praescripta probatione.

C. 119. Sine Episcopi consensu nemo Monachus fieri potest.

C. 120. Monachi, typus Angelorum.

C. 121. Hieromonachi non exigant in seculo, nec sacra faciant in aliis secularium Ecclesiis, excepto, si salus animarum exposcat, aut Episcopus eos ad sua servitia adhibeat.

C. 122. Monachus officia choralia adimpleat, secus poenitentiae subjiciatur.

C. 123. Monachus, vel monialis, si deserto monasterio matrimonium inierit, hoc non pro matrimonio, sed pro adulterio reputetur; et si non dimiserit talis monachus sociam adulterii, excommunicatus sit. Si autem monachus duxerit monialem, et resipuerint, ab invicem soluti, poterit eos Episcopus recipere in monasterium poena adulterorum (15 annorum) iis in poenitentiam injuncta. Si autem monachus uxorem ducens et conversus non dum fuerit professus, fornicatorum poenitentiae (7 annorum) subjiciatur.

Ex hoc capite Pravilae patet, professionem religiosam esse impedimentum dirimens matrimonii.

C. 124. De iis, qui exuent vestitum monachalem a puncto 1—4), Sacerdos autem et Diaconus, quod si duxerint mortua sua uxore, considerandi sunt tamquam ii qui renunciant statui monachali et faciunt propositum quomodo fiant haeretici; ideo tentandi sunt, utrum crediderint, quod habeat potestatem Presbyter et Diaconus ducendi uxorem, et tum qua haeretici puniantur; quod si vero hanc cogitationem non haberent, solum ita puniantur sicut qui renunciant statui monachali. Et si iterum abegerit uxorem et reversus fuerit ad Ecclesiam, cum mansuetudine et misericordia suscipiatur. Si autem id non fecerit sponte, seu non abegerit uxorem, Ecclesia coget illum, et si non obediverit, ad monasterium tota vita recludatur.

Ex hoc Capite Pravilae patet, ordinem esse impedimentum dirimens matrimonii, atque haereticos eos esse qui credunt, Presbyteros et Diaconos posse alteras ducere uxores.

C. 125. De excommunicandis monachis, qui ad seculum pergunt et vitam monasticam deserunt, et si resipuerint iterum ad monasterium recipiendis, ita tamen, ut si talis monachus esset Presbyter, a sacrificis peragendis perpetuo prohibetur, nisi ipsum rehabilitaverit Patriarcha.

C. 126. Si monialem lenocinium exercuisse constiterit, ea illico expellatur ex Ecclesia Dei.

C. 127. De poena lenonis, ut nudus circumferatur per compita civitatis et virgis cedatur, dein natus ei absindatur, e civitate ejiciatur, ac perpetuo infamis sit.

C. 128. Leno non tantum ille habeatur, qui in

domo sua intertenet meretrices pro lucro, virgines item et pueros pecunia seducit, verum etiam qui lenocinium tolerat in domo sua, aut propriam uxorem pro pecunia vel quocunque lucro tradit abutendam. Puniuntur poena capitis.

C. 129. Quicunque domum suam in censum lenoni elocaverit, morte puniatur.

C. 130. Parentes, qui filias suas lenonibus tradunt, amittant paternam potestatem et cum cruciatu perimantur.

C. 131. Quod si maritus semel tantum tradidit uxorem suam abutendam, aut servaverit in domo sua adulterum, ut leno puniatur.

C. 132. Mortuo monacho, omnia ejus cedunt monasterio.

C. 133. Non licet parenti denegare partem hereditatis filio monacho.

C. 134. Juxta ordinem institutionis sacerdotium majus est quam monachatus, quoniam operationes Sacerdotii sunt operationes Dei, et quoniam sine sacerdotio nemo fit christianus, nec habet sanctificationem, nec conjungitur Deo.

Majus autem est institutum monachale, quam Sacerdotis secularis ut loquitur divinus Dionysius, non sanctitate sacerdotii, sed vita. Quoniam etiam monachus si fuerit Sacerdos seu hieromonachus, major est Sacerdote seculari, non propter Sacerdotium, quod est opus Dei: verum propter vitam. Sacerdos perpetuo benedit et sanctificat, propterea etiam divinus Antonius perpetuo inclinat caput suum, sive se inclinat propter altitudinem sacerdotii, et quidem non solum Episcopis se inclinat, verum omnibus sacerdotibus. Ideo quilibet Sacerdos, qui habet hunc excelsum ordi-

nem sacerdotii, in sanctitate et tamquam sanctus vivat, et imprimis connitatur ut vivat sicut monachi (sine uxore).

Ex hoc igitur Capite Pravilae evidens est, Ecclesiam orientalem non minus ac occidentalem persavas esse, Sacerdotes debere esse non conjugatos, sed coelibes.

C. 135. Monachus, vel monialis non levent quemquam in sacro baptismate, seu ne agant patrinos, neque testes in matrimonio. Nec convenit monacho benedicere nuptias, sub perpetuae prohibitionis a sacerdotio poena.

C. 136. Si in aliqua Ecclesia officium diviuum 40 diebus celebratum non fuisset, prius benedicatur, deinde in ea celebretur. Qui autem absque benedictione celebraverit, 40 diebus a sacris prohibitus sit.

C. 137. De septem douis Spiritus Sancti, item septem sacramentis, septem virtutibus, et septem peccatis capitalibus.

C. 138. Ut in Ecclesia nemo sepeliatur, nec mortuus mutetur ad alium locum.

C. 139. Ut in Ecclesia epulae non serventur, nec in ambitu Ecclesiae emptiones et venditiones instituantur.

C. 140. Ne pecora in Ecclesiam intromittantur.

C. 141. Sacerdos infantes baptizet.

C. 142. Qui baptisat in tres Patres, et Filios, et Spiritus Sanctos, amittat sacerdotium.

C. 143. Dum quis in baptismo aqua abluitur, facie versus sit ad orientem, quoniam ab oriente lumen venit.

C. 144. Baptisatus nova veste induitur, exuens veterem hominem et induens novum.

C. 145. Baptisatus dum renunciat satanae, capite

versus sit ad occidentem, et etiam manibus demissis se satanae renunciare indicet.

C. 146. De unctione olei in baptismo, ad roboramum hominem pro pugna adversus diabolum et peccatum.

C. 147. Quod baptisandum sit in nomine sanctissimae Trinitatis.

C. 148. Tonsio capillorum in baptismo, signum receptionis in Ecclesiam.

C. 149. Baptisatus accipiat etiam signaculum Spiritus Sancti per chrismatis unctionem, quod est confirmationis sacramentum. Baptisandus autem est infans die 40-mo post nativitatem; si autem necessitas urgeat, etiam ipso momento nativitatis baptisari poterit, imo debet.

C. 150. Cum baptismus ad salutem absolute necessarius sit, in dubio num aliquis baptisatus sit, baptisari debet.

C. 151. Dum in necessitate collatus est baptismus absque exorcismis, si infans mortuus non est, exorcismi suppleri non debent, sed solum quae post baptismum juxta rituale praescripta sunt, absolvantur.

C. 152. Prohibitum est baptisare infantes Turcarum seu Mahomedanorum, quos ex superstitione parentes Turcae baptisari per Christianos curant, quod taliter in sequelam circumcisiois inflammationem corporis evitabunt. Omnis item communicatio spiritualis cum Turcis prohibetur.

C. 153. Laicus in necessitate baptiset, imo etiam pater, si alter non esset; si autem infans superviveret, secundario baptisetur per Sacerdotem. Infantes non baptisati nec in coelum, nec etiam in locum tormentorum eunt, sed in locum lucidum.

C. 154. Nemo sine baptismo Dei visionem consequitur.

C. 155. Sacerdos potest in necessitate propriam prolem baptisare, sed non levare; item nuptias filii benedicere, sed non testem matrimonii agere.

C. 156. Sacerdos baptismi sacramentum jejonus administret, excepto casu necessitatis. In quadragesima baptismus prohibetur, excepto casu necessitatis.

C. 157. Baptismus in Ecclesia fiat, et non in cibili, citra necessitatem; contra agens Sacerdos, punitur pro arbitrio Episcopi. Et si mortuus fuerit infans sine baptismo ob incuriam Sacerdotis, Episcopus eum prohibeat a sacris quamdiu voluerit; si vero ob incuriam parentum, hi tribus annis a sacra communione prohibiti sint.

C. 158. Per liturgias, orationes, et eleemosynas vivorum, quas faciunt pro defunctis, remittuntur eis peccata venialia, non item graviora peccata (mortalia), qui enim in his obierunt, eis occlusum est coelum; nec sacrificia vivorum et bona opera eis opitulari possunt.

C. 159. Prodesse S. Missae sacrificium defunctis in remissionem peccatorum et liberationem eorum a loco tormentorum (purgatorio) exemplis eorum confirmatur, qui post mortem apparuerunt et postularunt pro se missas celebrari. Sed etiam vivis prodesse liturgias, exemplum profertur hominis captivi, qui tempore, quo pro illo sacra liturgia celebrabatur, a vinculis solutus est.

C. 160. Idem illustratur aliis exemplis.

C. 161. A mulieribus, quae nubserunt haereticis et paganis, acceptare oblationes pro celebranda sacra liturgia vetitum est, nisi solum thus, oleum et candelas; neque etiam sacra communione reficiuntur, nisi in articulo mortis, anaphoram autem percipient.

C. 162. Die 3-tia, 9-na, et 40-ma post mortem fiat commemoratione defuncti, et dentur cibi pauperibus; et quidem die tertio ideo, quoniam animae defunctorum usque tertium diem a separatione a corpore, solutaes, in societate Angeli in terra commorantur, ac tertio solum die se coram Deo sistunt, atque usque nonum diem in superioribus coeli oberrant ad videnda habitacula sanctorum; post nonam autem diem usque quadragesimum ostendit eis Angelus paradisum et omnem cruciatum inferni, donec quadragesima die recepta a Deo sententia locum occupat suum usque ad secundum adventum Domini. Epulae autem funebrales ne fiant hebdomada prima et ultima quadragesimae, et hebdomada post resurrectionem, diebus item dominicis et majoribus festis. Secreta autem commemoratione defuncti ad altare, etiam dominica paschatis admittitur.

C. 163. Quod animae justorum cum latrone in paradiiso, injustorum autem in inferno constituantur.

C. 164. Si ante consecrationem contingat subverti sacrum calicem, denuo infundatur vinum et continuetur sacra liturgia; si vero post consecrationem, iterari non debet.

C. 165. Laici altare ne intrent; moniales vero tantum mundationis causa ad altare propriae Ecclesiae monasterialis intrare possunt.

C. 166. Conjuges, nisi abstinentes ab invicem sumant S. Eucharistiam, vel anaphoram, et osculentur sacras imagines; secus non praesumant.

C. 167. Si infirmus moriatur sine sacramentis ob incuriam sacerdotis, faciat orationes et sacras liturgias pro anima ejus; domestici autem incurii duobus annis a sacra communione prohibiti sint. Si autem sacerdos vocatus distulit infirmum providere, uno anno

a sacrис prohibitus sit, et ad illius expensas fiant pro defuncto 24 liturgiae.

C. 168. Nisi quis reconcilietur proximo suo, haud admittatur ad Ecclesiam, nec oblationes ejus acceptentur, eo minus vero ad sacram communionem admittatur.

C. 169. Qui absque indultu sacerdotis finem cultus divini non expectat, sed exit, excommunicetur.

C. 170. Ante sacram communionem tribus diebus, et post sacram communionem uno die abstineant conjuges ab usu matrimonii.

C. 171. Die Sabbati et Domini, et dum celebratur sacra liturgia, abstineant conjuges ex mutuo consensu.

C. 172. De sponsalibus, eamdem obligandi vim habent ut matrimonium, si solemnia, legalia et benedicta sint.

C. 173. Sponsalia legalia inire non possunt 14 annis inferior masculus, et 12 annis inferior puella.

C. 174. Nemo defuncti fratris sui sponsam in matrimonium ducere potest.

C. 175. Ob defectum praescriptae aetatis illegalia sponsalia, nullum inducunt impedimentum quoad matrimonium cum cognatis legalis aetatis illegitimi minorennes sponsi.

C. 176. Secunda sponsalia sunt impedimentum ordinis.

C. 177. Qui rescindunt sponsalia, dona in duplo restituere tenentur.

C. 178. Causae solutionis sponsalium: 1) Ob defectum praescriptae aetatis. 2) Si sit impregnata ab alio. 3) Si sit alterius fidei. 4) Si sponsalia coacta sint. 5) Si alteruter sponsorum vitam monasticam amplectatur. 6) Propter obsessionem a diabolo, quo refertur frenesis, si nimirum sit antecedens, vel die

sponsaliorum acciderit; si enim post sponsalia subsequenter contigisset, mulier 5 annis, et vir 3 annis expectet resanationem conjugis, quo tempore evoluto, pars sana matrimonium cum alio inire poterit.

C. 179. De separatione conjugum ex capite adulterii, praescriptiones civiles:

a) Maritus et uxor dimittit conjugem in adulterio reprehensum.

b) Si maritus abegerit uxorem suam aut alimenta substraxerit, ob quam causam uxor in adulterium lapsa est, maritus qua causa causati actoratu ad divortium ob adulterium uxoris privatus est; uxor autem adultera contra maritum ad divortium procedere potest.

c) Si cum mariti consensu uxor commisit adulterium, non potest solvi ab ea; uxori autem competit actoratus ad divortium.

d) Si non dimiserit maritus uxorem adulteram, sed retinet, actoratu ad divortium privatur.

e) Si condonaverit maritus uxor adulterium, actoratu ob adulterium se ipsum privavit.

f) Si quis ob adulterium dimisit uxorem suam, intentione ei tenetur usque dum coram judice comprobaverit adulterium. Si vero ipsa uxor exierit ex domo mariti, intentione non tenetur.

g) Si aufugerit uxor a viro meretrices apud se detinente, jure intentionem a marito exigendi gaudet.

h) Si adulterium fuerit occultum, sive alteruter habuerit amasium, adulterium vero intra octo dies comprobari non poterit, obligantur conjuges in pace convivere.

i) Si mulier deseruerit maritum ob concubinatum mariti, sive in propria domo, sive extra propriam

domum, et promittente marito emendationem redierit ad eum et cohabitare voluerit, id facere arbitrio ejus relinquitur.

C. 180. De compensatione adulterii: a) Si mulier accusata a marito de adulterio comprobet maritum etiam idem commisisse, accusator maritus jure actoratus privatur. b) Dum tentaverit maritus separationem ab uxore propter adulterium, uxor autem allegaverit maritum sodomiam commisisse, ob compensationem maritus prohibetur procedere contra uxorem adulteram. c) Compensatio etiam fit per haeresim subsequam, ob quam maritus non potest procedere ad separationem conjugis adulterae.

C. 181. Coniux separatur propter sodomiam alterius, sive cum propria coniuge, sive cum alio vel alia, vel per mulierem cum suo sexu, aut etiam instrumentis exercitam, non tamen si propria manu semen expellatur.

C. 182. Potest mulier se separare a viro sine interventu judicis, si vir haereticus fiat, atque uxorem cogat aut alliciat ad suam haeresim. Etsi vero haeresis aequiparetur adulterio, attamen dum ob haeresim uxor separantur conjuges, dotem non amittit prout in casu adulterii.

C. 183. Separantur conjuges propter saeviciem: a) quod si armis, vel quocunque instrumento quis coniugi vulnera inflixisset. b) Potest mulier aufugere a marito saevo ad declinandum vitae periculum, et si eodem die, quo crudelitatem mariti sustinuit, adierit judicem, separabitur; si vero distulerit non separabitur. c) Saevus maritus insuper pro qualitate criminis poenis afficiatur. d) Mulier profuga ob crudelitatem viri, ab hoc, intentione in loco seculo pro-

videri debet, nisi haberet profuga parentes vel fratres, aut alios cognatos, qui eam intertenere possint.

e) Quod si conjux amens evadat, et periculum subversetur occisionis conjugis, haec ab eo separetur.

f) Dum maritus consuetudinem contraxit ebrietatis et in hoc statu verberandi uxorem, haec ab eo separetur, et intentione per maritum provideatur.

g) Ob continuam afflictionem uxorius, etiamsi tantum verbis gravibus et minis, si ad haec ipsa uxor non provocet virum suum, et nisi maritus promitteret emendationem, fiat separatio.

h) ob implacabile odium fiat separatio conjugum: osor autem conjugis est, qui eodem lecto uti conjugem non sinit, qui cibis per uxorem paratis, lotione vestium, aut alia administratione rei domesticae continuo discontentus est.

i) Separantur etiam conjuges, si maritus indolem iracundam et furiosam induisset ita, ut mulier in periculo etiam vitae constituatur.

k) Separantur conjuges, si unus alteri insidietur quoquomodo, sive per se, sive per alium.

l) Quod si maritus confessus quidem fuerit odium suum et crudelitatem erga conjugem exercitam, attamen cum vadimonio promiserit emendationem, separatio ne fiat; si vero ejus indolis fuerit, ut sibi imperare et affectus suos cohibere nequeat, promisso ejus non credatur, et fiat separatio.

C. 184. Saevicies probanda est per solos testes, qui non sint familiares vel cognati uxorius, neque infames, quales nullam fidem merentur. Non est autem proba ejulatus, quos audiunt tantum vicini, neque fama, neque etiam signa externa, lacrymae, aut tumores circa oculos, vel alia in parte corporis.

C. 182. Licet marito verberare uxorem si delinquit, non tamen usque ad crudelitatem, neque ex odio,

nisi vitae mariti insidiata esset; quo in casu maritus non punitur, etiamsi saevus fuisset in uxorem. Crudelitas vel saevicies dicitur, dum maritus instrumento quoconque verberat uxorem usque ad vulnerationem, secus percussio pugno vel manu etiamsi frequentissime fiat, non est causa separationis, dummodo non sine causa exerceatur. Potest autem maritus etiam libertate personali privare suam uxorem, puta ligare, claudere, in duabus solum casibus, nempe adulterii, et si vitae mariti insidietur.

C. 186. Si mulier metuens maritum ne reversa ad illum iterum saevum experiatur, gravibus ex motivis poterit coram judice postulare scriptum promissum mariti cum vadimonio idoneorum hominum, quod ipsam amplius laesurus non sit.

- 2) Separari potest mulier etiam tunc, dum quidem cum marito pacem habet, sed a cognatis mariti eodem domicilio utentibus continuo affligitur et male tractatur.
- 3) In casu, si maritus pro se nullos statuere potuerit vades ad assecurandam uxorem suam contra laesiones et afflictiones, videat judex num jurato promisso mariti fides dari possit nec ne?
- 4) Dum separatur uxor ob metum mariti, constituenda est in locum securum ad expensas mariti, donec causa decidatur.
- 5) Quod si maritus cum juramento adpromisit, se non verberaturum uxorem suam ob commissum adulterium, ipsa autem reversa et recepta per maritum iterum adulterium committat, crudelitas mariti non imputabitur.
- 6) Non violavit maritus promissum de non saeviendo in uxorem, si eam propter culpam leviter percussisset.
- 7) Obligatur judex metuentem uxorem marito restituere, dummodo assecuratio sufficiens uxori praestetur, et non sit suspecta promissio mariti, quod recte ideo

repetat uxorem, ut vindictam suam exsaciare possit. Si autem uxor sponte redierit ad saevum maritum, in ejus arbitrio situm sit.

C. 187. Maritus habet jus abigendi uxorem sine interventu judicis, si uxor in adulterio inveniatur, ad hoc tamen unus tantum testis etiamsi fidedignus non sufficit. Occultum autem adulterium coram judice probari debet. 2) Similiter potest mulier deserere virum in adulterio comprehensum, non vero ob occultum adulterium, primo coram judice probandum. 3) Qui mulierem suam abigit absque legitima causa punitur pro arbitrio judicis, et mulier recipit dotem. 4) Quod si separata fuerit mulier a viro sine culpa hujus, cum consensu ejus, maritus intentatione non tenetur; si vero ob culpam mariti, hic uxori suaē intentationem dare obligatur. 5) Mulieri ob crimen in carceres per judicem conjectae, maritus intentationem dare non obligatur. 6) Separantur conjuges dum unus alterum ad crimen vel haeresim allicit. 7) A marito usurario uxor separari nequit. 8) Si mulier praestigiis usa fuerit ut noceat viro, ab hoc abigi potest. 9) Mulier, quae deseruit maritum sine scitu ejus, potest petere a judice, ut a marito recipiatur; si autem maritus recipere noluerit, intentationem convenientem dabit, donec uxor extra domum ejus commorata fuerit. 10) Si mulier noluerit obedire judicio ecclesiae, ut ad maritum revertatur, qui eam vocat, aut si ob vitium quoddam mariti deseruit eum, is autem se emendavit, maritus jus habet uxorem suam mediante brachio civili ad se reducendi. 11) Separatur uxor a marito sine interventu judicis, si maritus factus sit publicus haereticus, aut usus fuerit arte ad nocendum uxori, aut si alimenta et vestimenta convenientia subtrahat.

C. 188. De obligatione uxoris sequendi maritum suum: 1) Obligatur mulier sequi maritum suum, si ex causa quacunque rationabili mutet locum domicilii, ut-pote, ob majorem commoditatem, et cum spe melioris lucri exercendae artis vel opificii, aut ad declinanda majora tributa, aut meliorem provisionem spiritualem, vel opportunitatem educandarum prolium etcet. 2) Si maritus aufugiat ex loco ubi perpetravit crimen ne comprehendatur, tenetur uxor sequi maritum ubicunque domicilium fixerit. 3) Maritus vero non tenetur uxorem sequi, quae ob proprium crimen, ne puniatur, aufugit, nisi persecutionem patiatur ob causam justam, in quo casu maritus sequi debet uxorem. 4) Non obligatur uxor sequi maritum, si domicilium mutet ex causa irrationabili et mala, puta: ut furum socius fiat, aut si ideo mutet domicilium ut uxori nocere possit. 5) Si fuerit maritus homo vagabundus de loco in locum migrans, homo malus, qui nullibi toleratur, non tenetur uxor sequi illum in casu, si hanc indolem post matrimonium contraxisset, secus vero, si talis indolis uxori etiam ante matrimonium notus fuisset. 6) Si matrimonium fuisset conditionatum, restrictum ad locum domicilii, postea autem alteruter conjux infirmetur, et necessitate recuperandae valetudinis domicilium mutet, aut per sententiam judicis abigatur, alter conjux eum sequi obligatur.

C. 189. De impedimento cognationis.

C. 190. De consanquinitate, et affinitate, ac cognitione spirituali in genere.

C. 191. Septimus gradus prohibitus.

C. 192. Octavus gradus non prohibitus.

C. 193. De affinitate ex duabus generationibus.

C. 194. De affinitate ex tribus generationibus.

C. 195. Specialiter de cognatione spirituali.

*Nota:* Vide de his Jus matrimoniale.

C. 196. Idem objectum cum exemplis; sic qui ab uno eodemque patrino vel matrina levati sunt in baptismo, non possunt invicem matrimonio jungi; quoniam sunt fratres spirituales; vel maritus levavit in baptismate unum, uxor vero aliam, nec hi possunt matrimonium inire; quoniam maritus et uxor considerantur tamquam unus pater spiritualis, quorum filii spirituales inter se fratres sunt; vel non potest quisquam ducere filiam spiritualem saceri vel socrus suae.

C. 197. Mancipium non dicit dominam suam.

C. 198. In nuptiis non solum considerandum est, quid non prohibeatur, sed etiam quid non conveniat; ideo reprobantur matrimonia, si sponsi aetate nimis distent ab invicem, prout mulier senex et maritus juvenis, ac vicissim.

C. 199. Alia matrimonii impedimenta, in specie impedimentum ob adulterium.

C. 200. Sub eadem tutela constuti usque 25-tum aetatis annum, quo a tutela qua majorennas liberantur, non possunt matrimonio jungi.

C. 201. Explicatio graduum consanguinitatis.

C. 202. In quadragesima ne fiant nuptiae.

C. 203. De nuptiis primis et legalibus.

C. 204. Matrimonium legale ratum, etiamsi consummatum non sit, solvi nequit.

C. 205. Quicunque congressus fuerit cum uxore ante benedictionem, punitur ut fornicator septem annorum prohibitione a sacra communione.

C. 206. Tertiae et quartae nuptiae reprobantur.

C. 207. De prolibus legitimis, et spuriis.

C. 208. Matrimonio illegitimo copulati 15 annis

a communione sacramentorum prohibentur; concubinarii etiam, a sacra communione repellantur.

C. 209. Qui matrimonio illegitimo copulati sunt, soluto matrimonio ad alias nuptias transire possunt.

C. 210. Abusus, quod aliqui ad sancta evangelia invicem fraternitatem jurent, damnatur, et pro futuro prohibetur; ac sacerdos qui similibus pactis intervenit, deponendus decernitur, atque nuptias eorum in secundo gradu licitas esse, enunciatur.

C. 211. Leges civiles quoad incestum.

C. 212. De incestu per matrimonium.

C. 213. Antichristus dicitur, qui sine sufficienti causa pro mercede solvit conjugia.

C. 214. Causae, ob quas maritus potest procedere ad divortium ab uxore:

1) Si mulier sciret conspirari contra Principem dominantem et marito non patefaceret.

2) E causa perpetrati per uxorem adulterii, quod tamen ne credatur, nisi quinque testes omni exceptione maiores juraverint, se propriis oculis actum adulterii vidiisse.

3) Si mulier vitae mariti quocunque modo insidiata fuerit, vel sciens ab aliis strui insidias, marito non revelet.

4) Si contra mariti voluntatem cum viris extraneis compotet, vel balneet.

5) Si contra mariti voluntatem extra domum apud non cognatos maneat.

6) Si prohibente marito ad spectacula accedat.

C. 215. Quod ob adulterium uxor amittat dotem, similiter et vir.

C. 216. Causae, ob quas uxor a marito divortiatur:

1) Si adversus Majestatem Principis vel ipse quid

molitus fuerit, vel aliquibus molientibus, ipse conscientius, id Principi non patefecerit.

2) Si quocunque modo conjugis vitae insidiatus fuerit, vel irrationabiliter eam verberet, vel tanta sit saevitia, ut uxori trepidanti non possit sufficiens securitas promitti.

3) Si pudicitiae uxoris insidias struens, aliis abundantiam permittit.

4) Si maritus, uxore adulterii accusata, rem non probaverit.

5) Si concubinam habeat, sive in domo, sive extra.

C. 217. Ex impotentia post tres annos ab initis nuptiis potest fieri divortium, si pars impotens suam impotentiam confessa fuerit.

C. 218. Maritus potest divortiari ab uxore quam putavit esse virginem et deceptus est, si autem postea quoque cum ea commixtus est, retineat.

C. 219. Solvitur conjugium, si altera pars statum monachalem amplectatur, et pars in saeculo remansa facultatur ad nubendum. (Obstat impedimentum ligaminis.)

C. 220. Si mulier verberaverit maritum, aut occiderit foetum in utero, aut medicamenta adhibuerit ut maritus spem proliis habendae amittat, poterit maritus aliam ducere uxorem.

C. 221. A marito fure, spoliatore locorum sacrorum, separetur uxor.

C. 222. Si alteruter conjugum in captivitatem redactus sit, et non constet eum vivere, solvatur conjugium.

C. 223. A muliere in captivitatem abducta et ibi vi corrupta non separatur maritus.

C. 224. A muliere quam maritus abegit, dein vi corrupta est, non separatur maritus.

C. 225. Mulier frenesi laborans separetur a marito, hic tamen ei intertentio[n]em det sua vita.

C. 226. Ob cognationem spiritualem, quam inter se contraherent conjugati, solvatur conjugium.

C. 227. Si quis fecerit generum suum filium spiritualem, hic separetur a filia ejus, et ducat aliam uxorem.

C. 228. Illegale matrimonium solvatur.

C. 229. Quartae nuptiae dissolvantur.

C. 230. Cum defectu legitimae aetatis contractae nuptiae solvantur.

C. 231. Si maritus contra naturam concubuerit uxori suae, separetur a marito, et 15 annis absque communione sit.

C. 232. Coniux orthodoxus ab haeretico separetur; si autem haereticus etiam conversus fuerit, simul maneant.

C. 233. Quod si mulier a diabolo esset obsessa, per tres annos curam ejus gerat maritus, postmodum vero non cessante obsessione, deserat eam, et ducat aliam. Si autem maritus obsessus fuerit, tunc uxor, tantum post quinque annos poterit alteri nubere.

C. 234. Coniux epilepticus ante matrimonium, separetur a suo coniuge, post matrimonium hoc morbo correptus nunquam separetur.

C. 235. Si quis deseruerit mulierem et secesserit in locum ubi concubinam tenet, aut non suppeditaverit uxori necessaria vitae, solvatur matrimonium, et uxor nubat alteri.

*Nota:* Ex praemissis patet, quam multiplicibus ex causis solvatur matrimonium apud non unitos orientales contra praeceptum Domini „quod Deus conjunxit,” separantes; hae tamen praescriptiones legislationis civilis graecae pro Transsylvania

et partibus Hungariae, vigorem amiserunt per contrariam ex Principis Georgii Rákóczy praescriptione inductam consuetudinem, qui, etsi ipse Calvinista esset, tolerare tamen non potuit, ut vinculum matrimonii subditorum suorum obtutu licentiae a Graecorum civilibus legibus inductae adeo facile solvatur, unde in societatem civilem et familias innumera mala redundarent: ideoque constitutione sua ddto 10. Octobris 1643 (apud Major Hist. Eccl. pag. 74. Nr. 8.) ad Episcopum tunc Transsylvaniae et partium hungaricarum adnexarum graeco non-unitum data sequentia intimavit: „Quod personas sacro sancto matrimonii vinculo copulandas tribus adminimum ante copulationem diebus in frequenti Ecclesiae coetu publicabit, ac per quoslibet pastores sibi subjectos ubilibet in quibusvis ipsorum Ecclesiis publicari faciet, ac si nihil viti, quo copulatio eorum futura impediri posset, de iisdem inaudiatur, copulabit libere juramenti sacramento mediante, ac per alios etiam perinde copulari faciet; quae vero iam sunt invicem copulatae, ambae sancte cohabitent, etsi quae perfide se invicem deseruerint, et utraque earum in hoc regno Transsylvaniae vel partibus eidem adnexis vivere comperiatur, nullo pacto nullaque de causa eas divortiet, verum in eo casu, quo alter altero perfide' deserto peregre ad exteris et longe distantes oras se contulerit, nec ullus certus de eo rumor audiatur, tandem exacto 4. aut 5. circiter annorum circulo juxta usitatum orthodoxarum (calvinianarum) Ecclesiarum Hungaricarum morem et consuetudinem liberam parti innocentii et desertae dabit, ac dari procurabit nubendi potestatem. (Vide etiam in hoc opere doctrinam Catholicam: Quod matrimonium ratum et consummatum juxta Evangelicam et Catholicam doctrinam ex nulla causa matrimonium subsequente solvi possit, quoniam tunc solveretur id quod Deus prius conjunxerat, id autem Christo ipso enunciante fieri non potest, et sine sacrificio facere non licet.

C. 236. Si marito peregre proficidente non constiterit eum vivere, atque uxor alteri nuberet, haec, redeunte primo marito, ad eum redire debet.

C. 237. Qui duas uxores duxerit simul viventes,

unam quidem in uno loco, aliam vero in alio loco, matrimonio soluto, puniatur pro arbitrio judicis; similiter et mulier, quae duos simul maritos habuerit, excepto, si decepta fuisset. Item de eo, quod absentis mariti mors testimonis probanda sit, ut mulier ad nubendum facultari possit; testimonium autem etiam unius sufficit.

C. 238. Qui cum socru ante matrimonium carnaliter commixtus est, prohibeatur ducere filiam ejus; si autem post matrimonium, matrimonium cum filia maneat, sed incestuosi poenitentiae subjiciantur (12 annorum):

C. 239. Qui separatus est ab uxore ob culpam alterius mulieris, hanc non potest ducere uxorem.

C. 240. Cum complice adulterii, vivente conjuge, prohibetur conjugium.

C. 241. Qui occiderit uxorem in adulterio comprehensam, poterit aliam ducere? si vero occiderit in adulterio non comprehensam, aliam uxorem ducere nequit, et 20 annorum poenitentiae canonicae subjicitur. Si autem ex levi percussione uxor, ob culpam, contra intentionem evenerit mors uxor, poterit aliam ducere.

C. 242. De homicidio et vulneratione ad mortem.

C. 243. De poena homicidarum.

C. 244. De poena eorum, qui occidunt patrem, vel matrem.

C. 245. De iis, qui veneno interficiunt et de probatione hujus criminis.

C. 246. Qui ideo occidunt alios ne ab iis occidentur.

C. 247. Qui occidunt in actu furti comprehensos.

C. 248. De ratione cognoscendi vulnera mortifera, et non mortifera.

C. 249. Quando punitur vulnerator alterius, et quando non punitur?

C. 250. De suicidis excommunicatis nulla participatione bonorum spiritualium Ecclesiae dignis, excepto, si in statu amentiae se occidisset, in quo casu juxta Timotheum Alexandrinum poterunt fieri pro eo sacrificia, et commemorationes.

C. 251. De violenta, et cum consensu defloratione virginis, ut si parentes consenserint ducat defloratam in uxorem. secus pecunia compensationem faciat, aut si pauper sit, secundum leges puniatur.

C. 252. De poena defloratorum virginum.

C. 253. De obligatione ejus qui vim intulit virginis, apt dotandi, aut ducendi defloratam.

C. 254. De probatione vis illatae, quae praesummitur dum vicini et transeuntes testantur se audivisse ejulatus, si fuit bona famae et juret cui vis illata est, se fuisse virginem; quod etiam inspectione obstetricis praesentibus aliis duabus honestis personis instituta ad plenam fidem probatur; domestici autem defloratae pro testibus idoneis acceptari nequeunt.

C. 255. Poena canonica 12 annorum pro iis praescripta, qui 12 annis juniores deflorant, et ut media substantia delinquentis defloratae cedat.

C. 256. Monialis, vel serva, a Domino suo vim passa, si anterior vita honesta fuit, ab imputatione immunes sunt, secus qua meretrices puniendae.

C. 257. Raptor monialis morte puniatur, et substantia ejus tota monasterio cedat.

C. 258. Monialis fornicata sacrilegium committit, et complex morte punitur.

C. 259. Raptore scopo fornicationis, morte puniantur.

C. 260. Raptor meretricis punitur pro arbitrio Iudicis.

C. 261. Vidua anno luctus prohibetur nubere.

C. 292. Vidua si nupserit, nihil hereditatis accipit ex substantia mariti, sed tantum e substantia prolium, si hae morerentur.

C. 263. Si mulier inscio marito sibi procuraverit vestes et monilia, aliaque, maritus ea sibi appropriare potest, et illo mortuo proles hereditant.

C. 264. Vidua si non nupserit, mediam partem substantiae mariti accipit, similiter et viduus e substantia uxoris.

C. 265. De assecuratione allatura uxoris.

C. 266. De vadimonio uxoris pro marito.

C. 267. Expensae quas facit maritus ad resanandum uxorem non possunt per eum praetendi a socero, sed solum expensae sepulturae, in quantum sacer recepit dotem, vel allaturam filiae suae.

C. 268. Allatura uxoris primae habet prioritatem in restitutione.

C. 269. Conventio inter conjuges pro casu mortis ea tantum valet, qua stipulatur successio marito, non item etiam qua uxori.

C. 270. Dona, quae ante matrimonium invicem praestiterunt conjuges, proprietas eorum sunt, nec in computum substantiae postmortualis veniunt.

C. 271. Donum libere factum non potest re-praetendi.

C. 272. Substantia conjugum improlium defunctorum in tres partes dividitur, atque una remanso coniugi, secunda parentibus defuncti, tertia pro elemosynis cedit.

C. 273. Proles sunt heredes subtantiae paternae.

C. 274. Ab intestato decedentium improlium conjugum heredes sunt parentes.

C. 275. In successione praecedunt fratres germani uterinos, vel ex alia matre genitos, et hos, ex fratribus germanis nepotes.

C. 276. Successio concernit gradu proximos viventes aequaliter, si essent in eo gradu plures, et in defectu prolium et consanguineorum, ab intestato mortuis succedunt ipsi conjuges.

C. 277. Filia nuptui data imputata allatura et dote nuptiali, participat ex substantia denati parentis.

C. 278. De successione filiorum, qui a vivis parentibus concernentem partem hereditatis obtinuerunt.

C. 279. De successione prolium, qui partem concernentem bonorum paternorum non dum receperunt.

C. 280. De debito mutuo et pignore.

C. 281. De interusurio prohibito.

C. 282. De falcidia compensanda.

C. 283. Proles venerentur suos parentes, hi autem aequaliter dividant substantiam inter proles.

C. 284. De jure exheredationis.

C. 285. De testamentis.

C. 286. De legatis.

C. 287. De tutoribus.

C. 288. De pignore.

C. 289. De sententia Judicis arbitri.

C. 290. De complanatione inter litigantes.

C. 291. De sociis lucri seu negotiationis.

C. 292. De juramento.

C. 293. De obligatione filiorum alendi suos parentes.

C. 294. usque 311. Leges politiales, seu de compensatione damni quod quis sive in agris, sive pecoribus, sive in aliis bonis et preventibus alteri causavit

C. 312. Dies incipit a 6-ta hora vespertina et computatur usque eamdem horam futurae diei.

C. 313. De Calendis, Nonis et Idibus.

C. 314. De Alphabeto graeco et Grammatica, item de typo Cyrillico.

C. 315. De milliaribus maritimis.

C. 316. De montibus altis et qui sunt illi.

C. 317. Quod Episcopi habeant potestatem relaxandi et moderandi rigorem canonum.

C. 318. Sacerdos exaudiens confessiones absque jurisdictione ab Episcopo impetrata, longo tempore prohibeatur a sacris, cum absolutio ab illo poenitenti impetrata nulla sit; in casu tamen necessitatis valide excipit confessiones, seu in discriminе vitae, in quo quisquis sacerdos ad infirmum vocatus non iverit, et mortuus fuerit aeger absque confessione, tribus annis poenitentiae canonicae subjiciatur prohibitus a sacris.

C. 319. De confessario et violatore sigilli sacramentalis, ut puniatur annis tribus prohibitus a sacris, more laicorum autem communicet; juxta leges autem civiles evellatur ei lingua. Quod si confessarius pro absolutione donum acceptaverit, certo tempore a munere confessarii suspendatur. Confessarius autem sit 40 annis adultior.

C. 320. Aeger in agone etiam non jejonus sacram communionem accipiat.

C. 321. Masculi anno aetatis 14-to, femellae autem anno aetatis 12-mo obligantur peccata confiteri, et quod omnes tam Clerici, quam Laici obligentur poenitentiam agere et occulta peccata confiteri.

C. 322. Confesso peccatori opera satisfactionis imponenda sunt.

C. 323. Qui abnegavit Christum libere, tota vita

non communicabit, qui autem coacte, post octo annos communicabit.

C. 324. Discretio non est dijudicanda juxta aetatem, sed juxta maturitatem.

C. 325. Poenitenti, bonum opus ex plena animi conversione operanti remittuntur omnia peccata.

C. 326. Homicida justificatur coram Deo pro peccato propter quod in terra punitus est, non vero propter alia quoque homicidia propter quae punitus non est, (intellige quoad satisfactionem, non autem quoad remissionem delictorum, si vere poenitens obiisset, quo in casu totus homo reconciliatus Deo non nisi satisfactione temporali tenetur).

C. 327. Loco convenienti sunt audiendae confessiones cum summa mansuetudine et affectu compassionis erga poenitentem exhibendo. et injungenda opera satisfactionis in sensu quidem canonum, sed juxta individualitatem poenitentis.

C. 328. De praestigiatoribus quomodo puniendis? qui arte diabolica nocent, 20 annis excommunicati sint.

C. 329. De onania, fornicatione in specie cum non baptisata. Onaniam committens 40 diebus aridis vescatur, secus uno anno a sacra communione prohibitus sit; fornicationem vero committens septem annis a sacra communione arceatur; Sacerdos haec peccata committens post ordines, in perpetuum deponatur.

C. 330. De poenitentia incestuosorum, cum sorore 20 annis, cum nuru vel socru 11 annis, cum consobrina 10 annis, cum sobrina 9, cum affinissa 11, cum filia spirituali 20, etcet.

C. 331. Menstruatae usque dum purgentur ne communicent, nec anaphoram sumant.

C. 332. Sodomiam vel bestialitatem committentes 18 annis a sacra communione prohibiti sint.

C. 333. De variis gradibus incestus et sodomiae, poena civilis mors.

C. 334. Poena civilis eorum, qui bestialitatem committunt: amputatio capitis et combustio corporis una cum animali.

C. 335. Homicidii poena canonica, et quidem voluntarii 20 anni, involuntarii 10 anni, ut arceantur a sacra communione.

C. 336. Siquis in affectu irae alium percuesserit ut sequatur mors, Clericus deponitur, Laicus excommunicatur.

C. 337. Spectatores duelli sequente morte, puniuntur ut homicida.

C. 338. De indicis voluntariae cooperationis ad crimen homicidii.

C. 339. De poena eorum, qui adjuvant ad profugium homicidam ne intercipiantur, vel eum occultant.

C. 340. De iis, qui recipiunt in domos suas fures et latrones.

C. 341. De auctore criminis consilio, vel mandato.

C. 342. De approbatoribus criminum.

C. 343. De furibus et latronibus.

C. 344. Qui effodiunt sepulchra tribus annis ne communicent.

C. 345. Leges civiles de spoliatoribus.

C. 346. De iis, qui obsederint vias sine armis.

C. 347. De Telonio dominiali.

C. 348. Qui furatur scopo ut illudat alteri.

C. 349. De probatione latrocini.

C. 350. Primus actus delicti mitius punitur.

C. 351. Delicta sine insidiis.

- C. 352. Delicta cum insidiis.  
 C. 353. Circumstantiae excusantes reum.  
 C. 354. Status iracundiae minuit delictum.  
 C. 355. Ratio habeatur aetatis in puniendo delicto.  
 C. 356. Juvenilis aetas minuit imputationem.  
 C. 357. Si tamen paricida sit juvenis, morte puniatur.  
 C. 358. Status ebrietatis minuit imputationem.  
 C. 359. Amentia tollit imputationem.  
 C. 360. Signa amentiae.  
 C. 361. Excusat etiam consuetudo loci.  
 C. 362. Excusat multitudo idem committentium, principales tamen factores severe puniendi.  
 C. 363. Excusatur delinquens, si ex jussione ejus qui in eum potestatem habet, patravit crimen.  
 C. 364. Excusat etiam debilitas naturae, et pusillanimitas.  
 C. 365. Excusat etiam status somni et soporis.  
 C. 366. Excusat etiam status inamoratus.  
 C. 367. Quoad qualitatem poenae, conditionis habeatur ratio, num sit dominus, vel servus, in dignitate constitutus, vel inferioris conditionis.  
 C. 368. Mitius puniendus, si delinquens societati valde utilis esset.  
 C. 369. Si quis vitam mutet in melius, vel haereticus fiat catholicus, aut paganus fiat christianus, reflexionem meretur.  
 C. 370. Surdomutorum per signa confessio ambigua est; si autem per scripturam confiteantur, certa, et ideo juxta leges tractandi.  
 C. 371. Quod si pater filium, vel filius patrem tradiderit judici, minuitur poena.  
 C. 372. Perjurium et testimonium falsum ex ne-

- cessitate, 3 annorum non communicatione, non ex necessitate, 11 annorum poenitentia punitur.  
 C. 373. Calumniator uno anno non communicet, similiter etiam, qui in ira persistit et reconciliari non vult.  
 C. 374. De muliere quae foetum in utero occidit, vel media adhicet ne concipiat morte punienda; si autem somno oppressa mater prolem suffocavit, 3 annis ne communicet.  
 C. 375. Monialis sciens aliam delinquere et non insinuans superiori, ita puniatur sicut quae delictum commisit.  
 C. 376. De comedentibus sanguinem et suffocatum.  
 C. 377. Mulier ante tempus purificationis „40 dierum“ efluxum, si in agone constituatur, praemissis precibus purificationis, sacramento Eucharistiae provideatur.  
 C. 378. De strigis, quod non existant, et peccato quod committitur, dum comburuntur exuviae defunctorum ex supposito falso quod strigae essent.  
 C. 379. Si aliquid immundi ceciderit in vas, puteum, vel esculenta, et gustaverit quis ex immundis, 7 diebus ne communicet.  
 C. 380. De jejunio Nativitatis Domini qualiter observando; abstinentium nempe est a piscibus, sed non a vino; diebus vero sabbati et Domini pisces comedere fas est. Si Epiphania vel Nativitas Domini incidat in diem Mencuri et Veneris, nulla abstinentia est observanda videlicet ab aesi carnium, item vino.  
 C. 381. De Jejunio Quadragesimali: comedimus semel in die arida, et quidem post vespertinum officium hora 3 pomeridiana, vel olera, exceptis diebus sabbati et Domini, quibus abstinentum est tantum a

carnibus et piscibus, excepto die Annunciationis B. M. Virginis et Dominica Palmarum, quibus solis pisces comedere permisum est. Similiter jejunium observandum est omnibus diebus Mercuri et Veneris per totum annum, excepto, si in hos dies incideret aliquod festum Domini, vel Beatae Mariae Virginis, dum pisces comedere licet; prout etiam in hebdomada paschatis, atque inter Nativitatem et Epiphaniam, quibus abstinentia nec a carnibus observanda. Monachi autem etiam diebus Lunae per totum annum abstinere debent: excusantur infirmi. Si quis autem jejunium non servaverit Clericus, deponatur, Laicus vero, vel Monachus quatuor annis a sacra communione arceatur.

C. 382. Puerperae absolutae sunt a jejunio.

C. 383. Si dies annunciationis in diem Veneris vel sabbati hebdomadae passionis incidat, a piscium esu abstinendum.

C. 384. In jejunio Nativitatis Domini et SS. Apostolorum Petri et Pauli, diebus Lunae, Mercuri et Veneris abstinendum est a piscibus et vino.

C. 385. In jejunio Mensis Augusti seu obdormitionis B. Mariae Virginis, diebus Lunae, Mercuri et Veneris aridis vescimur, reliquis vero diebus coctis cibis, et vino utimur, a piscium esu abstinentes.

C. 386. In die exaltationis sanctae crucis jejunamus abstinentes a carnis et piscibus etiam die sabbati et Domini, si in hanc diem incideret; vinum tamen bibimus et coctis cibis utimur.

C. 387. Quando constructum est Symbolum fidei.

C. 388. De conciliis oecumenicis, quae sunt: Nicaenum I., Constantinopolitanum I., Ephesinum, Chalcedonense, Constantinopolitanum II., Constantopolitanum III. cum Quinisexto seu Trullano, Nicae-

num II., denique VIII.-um Florentinum, cui ex orientalibus solus Marcus Ephesinus non subscrispsit.

*Nota:* Si igitur Pravila Florentinum Concilium pro Oecumenico recipit, qui hanc Pravilam acceptarunt, necessario cum Ecclesia Romana in unione et communione esse debent.

C. 389. Quod imagines antiquae non comburendae, set tumulanda sint.

C. 390. Apprecatio Imperatori christiano, et Episcopo ad multos annos.

C. 391. De ordine sedium Patriarchalium: Romanae, Constantinopolitanae, Alexandrinae, Antiochenae et Jerosolimitanae.

C. 392. De Metropolitis, qui habent suffraganeos.

C. 393. De Exarchis et Metropolitis honore praecellentibus.

C. 394. Dignitarii seu officiales aulae Episcoporum: Archimandrita, Protosyncellus, et Syncellus, quorum priores duo Jeromonachi, ultimus Monachus tantum Diaconus est.

C. 395. Tituli Patriarcharum, Romani; Felicissimus, Sanctissimus, adinstar Angelorum in Christo Pater Patrum et Dominator omnium Apostolicarum Ecclesiarum. Constantinopolitani; Sanctissimus Patriarcha oecumenicus. Alexandrini: Sanctissimus Dominus Papa et Patriarcha Alexandriae et totius Aegypti, Pentapoleos, item Lybiae et Aethiopiae. Antiocheni: Sanctissimus Pater Patriarcha magnae civitatis Antiochenae et totius Anatoliae. Jerosolimitani; Sanctissimus Pater Patriarcha Jerosolimitanae urbis et totius Palestinae.

A Capitulo 396. usque 417.-um, formulae stilisticae, dum scribit Metropolita alteri Metropolitae, vel Episcopo, vel Principibus etcet. Testimonium com-

fessarii adspirantem ad sacros ordines nulla irregulatitate irretitum esse. Testimonium Episcopi de collatis ordinibus sacris. Literae Jurisdictionis. Absolutoriae a censuris. Literae super benedicta cruce ad aedificandam Ecclesiam, vel Monasterium. Literae delegationis ad Synodum. Testimoniales super consecratione Episcopi. Literae passuales, item ad facientes collationes pias, pro redemptione captivorum. Literae super soluto matrimonio ob malitiosam desertionem, ob adulterium, ob impotentiam, ob non comparitionem peregre profecti conjugis, ob obsessionem a daemone, ob id quod maritus absens non mittat alimenta uxori.

### Pars II. Codicis „Pravila“:

#### Nomocanon.

Complectitur haec pars Concilia oecumenica, et particularia, item Canones sanctorum Patrum prout Canone II. Concilii Trullani enumerantur, verum synoptice tantum et cum scholiis schismatici Aristeni; huic tamen parti secundae Pravilae substituerunt graeci distiuctum codicem Canonum, cui nomen:

#### P i d a l i o n .

Significat gubernaculum Navis seu Ecclesiae. Codex hic textum Canonum integrum exhibit cum interpretatione per Synodum Constantinopolitanam schismatamicam adprobata; prodit Lipsiae 1800 lingua vulgari graeca, et translatus in lingvam romanam, seu valachicam; lucem conspexit Jassii in Moldavia 1844-to \*).

\*) Codicis hujus editio lingva latina, cum interpretatione catholica per auctorem hujus operis procurabitur.

### S 50. De merito interno juris Canonici Constantiopolitaniani.

Quoad meritum autem internum juris Canonici Constantinopolitani, egregie disseruit D. Pitra, in recensione operis nuper editi a DD. Rhalli Areopagi praeside, et Potli, Athenis 1822—1856. jussu sanctae Synodi Ecclesiae Hellenicae, quinque volum. In qua recensione critica doctus vir historiam juris graeco-orientalis texuit et praecipuorum auctorum, qui collectiones Canonum ediderunt et commentariis illustrarunt, usque ad novos collectores et editores athenenses, quorum exhibet per volumina partes insertas, atque animadvertisit jugem Imperatorum byzantinorum tendentiam ad sibi subjiciendam Ecclesiam, quae magis se patefecit in Imperatore Justiniano, qui dum ex una parte nonnisi Canonum ecclesiasticorum custodem et executorem se gerere profitebatur, ex altera Novellis suis constituebat disciplinam, et vim Canonibus tribuebat. Hic Imperator auctor fuit Joanni Scholastico, ut in unum colligeret leges imperiales et canones pro objecto disciplinam ecclesiasticam habentes. Conflictus identidem inter Imperatores et Patriarchas Constantinopolitanos excitatus est, et quotquot imperialis dignitatis assentatores non exstiterunt, ac libertatis ecclesiasticae noluerunt se praebere proditores, persecutionem passi sunt, vel morte, vel carcere, vel exilio mulctati.

Res ita steterunt donec intrusus Photius anno 883. ut firmaret suum Schisma, et Ecclesiam sub Imperatorum ditione et servitute constitueret, novum juris Canonici syntagma vulgavit, aliudque opus sub pro-

fano titulo Nomocanonis edidit, quo significaret eamdem legibus imperialibus et canonibus ecclesiasticis vim inesse. Ac reipsa huic suo Nomocanoni Novellas Imperatoris Justiniani disciplinares inseruit perinde ac si eandem vim haberent. Pedetentim primas legibus imperialibus graeci Canonistae dederunt, ita, ac si tota canonum ecclesiasticorum vis unice ab imperiali auctoritate penderet. Siquidem lex haec immutabilis est, ut quoties Ecclesia aliqua se a legitima substrahit auctoritate, toties sub tyrannicam laicorum Principum dominationem incidat, cuius rei praeter protestantium communiones, quas vocant, ineluctabile documentum est Ecclesia Anglicana, quae effecta est vile mancipium laicae potestatis regis, sive reginae, seu commitiorum.

Hoc vitium inhaeret etiam juri canonico byzantino, ac ita illud inficit, ut merito illud vocaveris potius jus civile quam canonicum, hoc enim ab illo suam mutuat obligandi vim. Cujus rei recens adhuc monumentum est Promptuarium seu Epitome juris canonici Harmenopuli, quod obtinuit legis vim in Graecia duobus decretis an. 1830. et 1835., atque tribunalibus hellenicis inservire debet ad instar codicis civilis in quaestionibus dirimendis.

Abjecta haec Ecclesiae Graecae servitus effecit, ut vel ipse Protestans Bonefidius pronunciaverit: „Quae omnia si quis diligentius consideret, sane Imperii Constantinpolitani interitum et eversionem admirari desinet,... justo Dei judicio deletum est.“\*)

\*) Conf. Perone de Matrim. Tom. III. p. 406.

### §. 51. De Canonica Auctoritate, et Approbatione Codicis Canonum Ecclesiae Orientalis.

Codex Canonum Ecclesiae Orientalis canonicam auctoritatem accepit per Canonem II. Concilii Trullani, cuius tenor juxta Decretum Gratiani, Distinctione XVI. C. VII. synoptice sequens est: Placuit huic sanctae Synodo ut a modo confirmata et rata sint Canonum Apostolorum LXXXV. Capitula. Confirmamus et caeteros SS. Patrum Canones et Synodos, idest: Nicaenam, Ancyranam, Neocaesariensem, Gangrensem, Antiochenam, Laodicensem, Constantinopolitanam, Ephesinam, Chalcedonensem, Sardicensem, et Chartaginem. Et opuscula Theophili Alexandrini Episcopi, et Dionysii Alexandrini, et Petri Alexandrini Episcopi et Martyris, Gregorii Thaumaturgi, Neocaesariensis Episcopi, Athanasii Episcopi Alexandrini, Gregorii Nisseni Episcopi, Gregorii Theologi, Amphilochii Iconiensis Episcopi, Timothei Alexandrini Episcopi, Genadii Constantinpolitani Episcopi, Cyrilli Alexandrini Episcopi, Cypriani Carthaginensis Episcopi et Synodus suam. Item Concilium Nicaenum II., Oecumenicum VII., Canone I. acceptavit, tam Canones Apostolorum quam et Synodorum oecumenicarum et particularium atque etiam SS. Patrum. His ergo consisteret canonica auctoritas Codicis Canonum Ecclesiae Orientalis; observandum tamen est, Canones Trullanos a sancta sede Apostolica generatim nunquam fuisse adprobatos, in specie vero adductum II. Trullanum et ei consonum Canonem I. Concilii VII., qui etiam nunquam approbationem sedis Apostolicae referent. Ceterum s. sedes Apostolica agnoscit non paucos Ca-

nones ipsius Concilii Trullani sanam et puram continere disciplinam, et ideo ipsi summi Pontifices Romani, prout Sixtus V. et Benedictus XIV. ad aliquos eorum provocarunt. Generatim quoad Canones Trullanos inquit Anastasius, in Praefatione ad Synodum VII.: „Ergo regulas, quas Graeci a VI-ta Synodo perhibent editas, ita in hac Synodo principalis sedes (Romana) admittit, ut nullatenus ex iis recipientur, quae prioribus Canonibns, vel decretis sanctorum hujus sedis Romanae Pontificum, aut certe bonis moribus inventiuntur adversae.“

Ergo de auctoritate Codicis Ecclesiae Orientalis tenendum est; sanctam sedem Apostolicam, sine cuius assensu nulla datur in Ecclesia christiana legitima auctoritas, admittere Canones tam Apostolorum quam et Conciliorum ipsorumque sanctorum Patrum prout in Codicibus orientalibus referuntur; dummodo tamen sint authentici, et praesentibus Ecclesiae Orientalis circumstantiis opportuni. Ex hocque generali principio relate ad versiones Codicis Ecclesiae Orientalis in lingvam romanicam aut aliam, observandum est, Canones in ipsis recensitos habere in se non posse aliam auctoritatem. quam illam, qua gaudent auctores Graeci, ex quibus excerpti sunt; et posse quidem hos Canones probationem facere disciplinae hactenus in Ecclesia Graeca observatae, quae disciplina eatenus legitima est, quatenus innititur canonibus antiquis ab Ecclesia catholica aut sancta sede admissis, aut quatenus hucusque observata velut disciplina Ecclesiae Orientalis nihil in se continet quod fini Ecclesiae ejusque fundamentalibus principiis, aut dignitati et utilitati Ecclesiae ejusdem aduersetur. Extra dubium autem est legislatricem Ecclesiae et sanctae sedis

Apostolicae auctoritatem posse emendare et mutare hanc quoque disciplinam, quotiescunque praesentes circumstantiae diversae omnino ab eis, in quibus antiqui Canones conditi fuerunt, aliquam emendationem exigerent aut mutationem.

### §. 52. Codex Ecclesiae Latinae.

Codex Ecclesiae Latinae, qui vocatur „Corpus Juris Canonici“, complectitur in se I. Decretum Gratiani, quod construxit post Schisma Photii circa diuidium saeculi XII. in quo exhibentur etiam Canones plerique Ecclesiae Orientalis. Gratianus enim Decretum suum construxit ex conciliorum tam universalium quam particularium Canonibus, Pontificum Epistolis, Patrum et Doctorum Ecclesiae enunciationibus, sacra scriptura, legibus Imperatorum Romanorum et Regum Francorum, quibus sua quoque addidit; ad hocque usus est collectionibus, imprimis Dionysii Exigui (§ 37.), Isidori, Reginonis, Buinchardi Vormatiensis, Ivonis, item Aniano Breviario, quod legis Theodosianae nomine ei venit. (Vide de his opera Juris ecclesiastici Latina.) Vocavit Gratianus opus suum: „Concordiam discordantium Canonum“, eo quod Auctor contrarietas Canonum in variis collectionibus repprorum tollere sibi proposuerit. Dividitur in tres Partes. Pars 1-a constat ex 101 Distinctionibus, harum singula Canonibus. Primae 20 Distinctiones agunt de Jure naturali et divino in genere, tum de fontibus Juris; reliquae de personis ecclesiasticis earum electione, ordinatione, officiis etcet. Pars 2-a continet 36 causas cum questionibus, seu casus juris cum congruis legibus ad eorundem resolutionem. Pars 3-a

continet 5 Distinctiones, singula dividitur in Canones.

Modus citandi e Parte 1-a; praemittitur litera C. vel syllaba Can. indicans Canonem, cum numero, dein additur litera D. vel syllaba Dist. denotans Distinctionem cum numero e. g. C. 6. D. 17. vel Can. 6. Dist. 17. E Parte 2-a Canon causa questio: e. g. C. 25. C. 2. q. 6. vel Canon 25. caus. 2. quaest 6. E Parte 3-a sicut ex prima Can. 51. D. 2. sed additur titulus v. g. de consecratione.

II. Praeter Decretum Gratiani complectitur Corpus Juris Canonici: Decretales Gregorii IX-i, quas jussu Gregorii IX. Pontificis e variis privatis collectionibus congesit Raymundus de Pennaforte, divisitque opus in 5 libros, singulum librum in titulos et Capita.

Citatio fit: C. vel. Cap. indicans Caput, dein ponitur initiale vocabulum, vel absque hoc numerus, dein Titulus v. g. Cap. I. Tit. XXIII. De officio Archi-Diaconi. Post Decretalium Gregorii IX. libros 5, sequitur in Corpore Juris Canonici Liber sextus Decretalium, Bonifacii VIII. Pontificis, et citatio fit sicut ex Decretalibus Gregorii IX. addito tamen in sexto.

Dein occurunt Clementinae, seu constitutiones Clementis V. Pontificis in 5 libros, titulos et capitula divisae, atque Extravagantes Joannis XXII. dictae ita ideo, quod in Corpus Juris aliquo tempore redactae non essent, sed extra illud vagarentur, privata solum auctoritate collectae, in XIV. titulos divisae. Dein Extravagantes communes, circa annum 1484. privato studio collectae, quae diversorum Pontificum constitutiones referunt, in V. libros et dein titulos divisae. Citatio fit prout e prioribus Decretalibus, addito in

fine Clem. vel Extrav. Joann. vel Extrav. Comm. Post has sequitur Liber septimus Decretalium, Canones nempe et constitutiones Gregorii IX., Bonifacii VIII. et Clementis V. atque Extravagantes subsequentes seculo XVI. privata opera collegit Petrus Mathaei Juriſconsultus Lugdunensis; quae compilatio nunquam a Pontifice aliquo adprobata, recentioribus corporis Juris Canonici editionibus subjuncta est. — Ad calcem denique corporis Juris Canonici additae sunt: „Institutiones Lancelloti“, prima Juris principia complectens.

### § 53. De auctoritate corporis Juris Canonici.

Cum nullus Poutificum expressam approbationem omnium eorum quae in Decreto Gratiani complexa sunt ediderit, Gregorius enim 13. nonnisi emendationem Decreti ratihabuit et nihil ei addi, aut in eo mutari preecepit. Romanisque Typographis decreto de 1. Junii 1580. tamquam opus publicae utilitatis imprimendi facultatem concessit, ea, quae ex Decreto hoc Gratiani citantur reducenda sunt ad fontes, ex quibus citata hausta sunt; imo Decretum ipsum reticeri et fons ipse citari potest. Quod autem adtinet Decretales Gregorii IX., item Librum VI. Decretalium, Clementinas, ac Extravagantes, quae partim originem, partim adprobationem pontificiam praeseferunt, vim legis habent, nisi posteriori decreto pontificio, concordato, vel consuetudine legitima quae probanda est, derogatum iis esset.

### § 54. Concilium Tridentinum.

Legislationis ecclesiasticae celeberrimum productum est Concilium Tridentinum, ab anno 1545—1563